15.

# DE CAUTERIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE CRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

AD SUMMOS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
RITE IMPETRANDOS

DIE XXI. M. DECEMB. A. MDCCCXXII.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNH. IACOBOW. ABRAHAMSON,

NIEMIROWIENSIS-RUTHENUS.

---

OPPONENTIBUS

M. LEVI, MED. DR.
L. IAFFÉ, MED. DD.
C. LOEWER, MED. CD.

---

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI GUILELMI SCHADII.

# DE CALCULIS.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA EDROLINENSI

Ὁκόσα φάρμακα ἀκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος ἀκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται· ὅσα δὲ πῦρ ἀκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

*HIPPOCRATES.*

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNH. JACOBUS ABRAHAMSON,

[illegible]

---

OPPONENTIBUS

M. LEVI, MED. DR.

I. JAFFÉ, MED. DR.

C. LOEWER, MED. CD.

---

BEROLINI,

VIRO

GENEROSISSIMO ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO

# DAVIDI COMITI AB ALOPEUS

MAIESTATI SUAE IMPERATORIAE, POTENTISSIMO TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS INTIMIS ET MUNERE CUBICULARIO, LEGATO EXTRAORDINARIO ET MINISTRO CUM AUCTORITATE MISSO IN MAIESTATIS REGIS BORUSSORUM POTENTISSIMI AULA. ORDINIS RUSSICI ST. ALEXANDRI NEWSKY, ST. WLADIMIRI MAGNAE CRUCIS IN CLASSE SECUNDA ET ST. ANNAE IN CLASSE PRIMA, ITEM ORDINIS REGII POLONICI AQUILAE ALBAE ET LEGIONIS HONORARIAE REGIS ERANCOGALLIAE MAGNAE CRUCIS EQUITI ETC. ETC.

SUMMO PATRIAE DECORI

PATRONO SUO AC FAUTORI

AD CINERES USQUE COLENDO

VIRO

ERUDITIONIS AEQUITATIS
PROBITATISQUE

LAUDE MAXIME CONSPICUO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
PIAE VENERATIONIS SUMMAEQUE DEVOTIONIS

EXIGUUM DOCUMENTUM

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR

OBEDIENTISSIMUS.

# Introductio.

Quicunque hac nostra aetate de cauteriis, praestantissimo efficacioris medicinae auxilio, paullo amplius tractare in animum sibi induxerit, patentissimum litterarum medicarum campum peragrare debebit. Incredibile enim est, quanta opinionum diversitas a primis inde temporibus modo huc modo illuc medicos detulerit, quantis vel laudibus illa elata, quantave reprehensione excepta sint. Quod quidem commune iis est non solum cum ceteris fere omnibus melioris notae auxiliis, sed cum summis etiam medicinae praeceptis. Nihil enim est quod non opinionum digladiationibus humana imbecillitas distrahat atque in omnem partem divellat. Utcunque sit, hoc nostro tempore cauteria, maximeque actu-

alia quae dicuntur in lucem ac honorem revocata sunt, unaque voce a medicis ac chirurgis praedicantur. In dissertatione hac inaugurali de utroque eorum genere de actuali aeque ac potentiali scribere constitui, haud ignarus quidem, me in medicina admodum tironem nihil novi in medium proferre posse, cum tot tantique viri inter scriptores de hac re enumerentur, indulgentia tamen lectorum benevolorum fretus, qua fore speravi, ut tenue hoc commentariolum in bonam partem accipiatur.

---

# Sectio prima.

## *De cauteriis in universum.*

### §. I.

### Nominis explicatio.

Cauterium generatim omne auxilium dicitur, quo partem aliquam corporis chemica via cito, sique sensibilis illa est, cum dolore destruere licet. Graeca huius nominis origo est (καυτηριον) a verbo καιω, uro, deuro, unde iam facile intelligi potest, nisi ipse ignis admoveatur, ignis certe in agendo ac destruendo similitudinem significari. Germani „Brennmittel“ dicunt, Gallici Cautère, Angli Cautery. Ipsa ustio barbaro potius quam latino nomine etiam cauterisatio vocatur [1]).

Iam quum ingens cauteriorum numerus sit, distingui solent in actualia et potentialia quae dicuntur. In illis ipse ignis, quod satis quidem

1) Conf. *Stephan. Blancardi* Lexicon medicum renovatum. Lovan. 1754. voc. Cauterium.

notum est, iu his urentis alicuius medicamenti vis chemica agit. Utrumque genus breviter pertraetare studebimus, missis omnibus medicamentis, quae quum cutim tantum irritent, neque destruant exedendo, rubefacientium nomine veniunt.

## §. II.

### Adnotationes historicae.

Cauteriorum usum maximeque actualium iam a remotissimis inde medicinae temporibus inter homines viguisse plurima persuadent. Indica medicina, antiquissima sane et graeca multo vetustior, moxae efficaciam vehementer extollit, nec minus sinica et aegyptiaca, quam graecae originem dedisse satis omnino constat. In Aesculapii templis varios urendi modos usitatos fuisse ex medicina Hippocratica colligere licet, quae ignis facultati mirum quantum tribuit. Quod quidem ex aureo illo aphorismo elucet; „*Quae medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quae ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quae vero ignis non sanat, ea insanabilia existimare oportet* [1]).“ Ferro candenti maxime utebatur Hippocrates, cuius applicatio, apud Scytas frequentissima, ab his fortasse Graecis innotuerat, nec minus adhibere solebat linum crudum, quod in parte laborante deustum, ma-

1) *Hipp.* Aph. 6. Sect. VIII.

ximam cum moxa Indica similitudinem refert [2]). Post Hippocratem vero tota medicina graecanica ferri candentis utilitatem agnovit, neque iuvat singulos rerum chirurgicarum scriptores enumerare, qui maximam huic auxilio fidem habuerint, inter superstites eminent: Galenus [3]), summus ille atiquitatis medicus, qui medicinam graecanicam ad summum fere fastigium evexit, Paulus Aegineta [4]), Aëtius Amidenus [5]), Oribasius [6]), Alexander Trallianus [7]), de quibus videantur compendia historica. Romani ferri candentis usum a Graecis adoptaverunt, propria enim medicina destituti, graecanicam recipere cogebantur, quamvis mitio plurimi obstarent, quin atrox illud remedium in usum vocarent chirurgi e Graecia Romam quaestus faciendi causa profecti. Archagathus saltem, qui ante Catonem primus e Graecia Romam venisse dicitur, quod

---

2) Cf. *Carol. Frideric. Guilelm. Moldenhawer*, de varia ustionem adhibendi ratione apud Hippocratem. Diss. Berol. 1818. 8. — *Daniel le Clerc* Histoire de la médecine. Amsterdam 1702. 4. Tom. I. Chap. 28. p. 219. — *K. Sprengel*, Versuch einer gragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Halle 1800-1803. 8. T. I.

3) *Hippocratis* et *Galeni* universa, quae extant opera. Ex ed. Charterii. Vol. XIII. Paris 1639. fol.

4) *Pauli Aeginetae*, Libri septem. Basileae 1538. fol.

5) *Henric. Stephani* artis medicae Principes. 1567. fol.

6) *Oribasii opera*, quae extant omnia, tribus tomis digesta. *Johann. Baptist. Rosaris* interprete. Basileae 1557. 8.

7) *Alexandri Tralliani* Libri medicinales XII. Basileae 1556. 8.

nimis frequenter urebat, carnificis nomine donatus omniumque opprobriis exurbe pulsus est [8]). Nihilo tamen secius ipsi postea Romani, qui medicinae operam dederunt, inter quos Cornelius Celsus, tempore Augusti et Tiberii Romae celeberrimus, primum locum tenet, ferrum ignitum ceteraque cauteria valde praedicabant [9]). Per totam mediam aetatem apud Arabes maxime efficax illa medicina frequentabatur. Abul Kasem inter eminentissimos eius laudatores pertinet, eiusque opus chirurgicum Galenicos etiam mediae aetatis medicos ad eam frequentius adhibendam excitavit [10]). Apud hos enim tota haec medicina iacebit, quam plurimi aversabantur. Hoc certe ex magna et incredibili obtrectatione intelligitur, quam Marcus Aurelius Severinus, medicus apud Neapolitanos celeberrimus passus est [11]). Tempore, quo alchymia maxime dominabatur, cauteria actualia potentialibus locum cesserunt, medici enim medicamina urentia praeferebant, ignem cum aliquo timore fugiebant. Sub finem vero saeculi decimi sexti et decimi septimi initio eius temporis celebriores

---

8) *K. Sprengel*, L. c. p. 267. - *Plin.* Hist. nat. L. XXIX. c. 1.

9) *Cornel. Celsi*, de medicina Libri VIII. Ex ed. *Krause*. Lipsiae 1766. 8. Lib. IV. Cap. XXII. et XXIII.

10) *K. Sprengel*, L. c. Tom. II. pag. 430. — *Abulcasis* de Chirurgia Libr. Ex ed. *Channing*. Oxon. 1778. 4.

11) *Marci Aurelii Severini* de efficaci Medicina. Libri III. Francofurti 1646 et 71. Lib. II. fol. Pyrotechnie.

chirurgi maxime Ambrosius Paraeus [12]), Sculletetus [13]), Hildanus [14]), nec minus ille quem diximus Severinus actuale cauterium in usum revocarunt. Haud diu autem valuit huius remedii auctoritas. Paullo enim post fidem ei derogabant medici sic ut saeculo superiori vix non in oblivionem veniret. Medicamentis potius credebatur, et parum virilis chirurgia ignem respuebat. Attamen clarissimus Pouteau moxae utilitatem temporis sui medicis in memoriam revocavit, quae etsi maiores etiam quam ferrum dolores excitet tamen haud adeo atrox remedium videbatur. Cylindros conficere solebat ex gossypio vel lino, taenia aut filo firmiter constrictis, pollicis longitudine, et sesquipollicem in diametrum patentes. Hos cuti laborantis partis agglutinatos et oleo tinctos deurebat [15]). Pascal anno MDCCXCII. linamentum vel gossypium adhibuit vel etiam funes carptos ex nitri

---

12) *A. Paraei* Opera a *Jacobo Guillemeau* elimata. Francofurti 1593 fol. Lib. XVII. cap. 23.

13) *Johann. Sculteti* Χειραποθηκη, vel Armamentarium chirurgicum, 43. Tabulis aeri incissis exornatum. Ulmae 1653. fol. et Francofurti 1666. p. 142.

14) *Guilelm. Fabric. Hildani* Opera observationum et curationum medico-chirurgicarum, quae extant omnia. Francofurti 1646. fol. p. 634.

15) *Cl. Pouteau*, Mélanges de chirurgie. Lyon 1760. 8. Germanice: P. Vermischte Schriften von der Wundarzneikunft. Aus dem Franz. übers. von *G. L. Rumpelt*. Dresden u. Warschau 1764. 8.

solutione cocta et charta circumvoluta [16]) Valentin annno MDCCCXV. boletum igniarium vel lignum putridum siccum in parte affecta deurenda suasit [17]). Faure ad curanda ulcera putrida pruna proxime imposita et fistula afflata utebatur [18]). Neque minus adnotandum est La Peyrii consilium, quod anno MDCCLXXVI. dedit, ad partem affectam vitro ustorio urendam [19]). Denique Dzondi, chirurgiae professor in universitate Halensi celeberrimus auctor est vaporum aquae calidorum per vasis siphonem in partem immitendorum, quibus temporis momento cutim rubefacere licet [20]). Hoc medicinae novum auxilium tantum commemorandum putavi, quamvis ad cauteria cutim destruentia minus pertineat, eo certe gradu adhibitum, quo auctor id adhiberi iussit. Primus inter recentiores chirurgiae scriptores celeberrimus Percy ipsum ferrum candens aucdacter ad-

---

16) *Fourcroy* med. eclair. T. IV. Paris 1792.

17) *Valentin* Mémoires et Observations concern. les bons effets du cautère actuel appliqué sur la tête ou sur la nuque dans plusieurs maladies des yeux, des enveloppes du crane, du cerveau et du système nerveux. Nancy 1815. 8.

18) Memoires de L'acad. d. Chir. Vol. V. p. 821.

19) In Hist. de la Soc. d. Med. 1776. p. 296. — *Richter's* chir. Bibl. VIII. 2. — *Aitken* Med. Comment. Vol. V. P. II. 1777. in *Richter's* Bibl. V.

20) *Dzondi* Aesculap, eine med. Zeitschrift etc. Vol. I. Fasc. 1. Lipsiae 1821. 8. p. 87. et Tab. I. II.

hibere docuit [21]), et nostris etiam diebus apud Francogallos frequentissime eo utitur, perinde ut moxa. Hunc secuti sunt nostri temporis chirurgi eminentiores ad unum omnes, sic ut nemo sit, qui cauterii actualis utilitatem in dubium vocare conetur. Maxime autem Rustius, ut auctoritate aliqua utar eius adhibendi modos multis experimentis illustravit [22]).

Inter viros de hoc argumento scriptores etiam legi merentur: Hieronymus Crassus [23]), Thom. Fienus [24]), Georg. Schoen [25]), Dominico Galvani [26]), Daniel. Pelicanus [27]), I. R. Sulzberger [28]), Matth. Ludovic. Glandorp [29]), Go-

---

21) *Percy*, Pyrotechnie chirurgicale, ou l'Art d'appliquer le feu en chirurgie. 2 édit. Paris 1811. 12. a. d. Franz. Lpz. 1798. 8.

22) *Joh. Nepom. Rust*, Arthrokakologie etc., u. üb. d. Heilkraft, Wirkungs- und Anwendungsart des Glüheisens bey diesen Krankh. Wien 1817. 4. Mit 8 Kupf.

23) De cauteriis, sive de cauterizandi ratione. Utini 1594. 8.

24) De Cauteriis Libri V., in quibus vires, materia, modus, locus, numerus, tempus ponendorum cauteriorum, ex veterum Graecorum, Arabum, Latinorum, nec non neotericorum sententia, quam dilucide explicantur. Lovanii 1598. 8.

25) De Fonticalis Diss. Basileae 1609. 4.

26) Trattato delle Fontanelle. Padov. 1620. 4.

27) De Fonticulis Diss. Basileae 1621. 4.

28) De Fontanellis Diss. Lipsiae 1625. 4.

29) Gazophylacium polyplusium fonticulorum et setaceorum reseratum, e quo variae illorum dotes, loca, instrumenta, modi infigendi deversi, conservandique depromentur. Bremae 1632. 4.

DOFRED. WELSCH [30]), IOH. THEODOR. SCHENK [31]), IOH. ALBERT. SFBITZ [32]), GUALTTER. A LIBENFELD [33]), IOH. LUDOV. HUXHOLZ [34]), RUDOLPH GUILELM. KRAUSE [35]), BERNARD. ALBINUS [36]), CONR. PHILIPP. LIMMER [37]), IOH. HADR. SLEVOGT [38-39]), FRIDERIC. HOFFMANNUS [40]), SIMON. PAUL. HILSCHER [41]), MICHAEL. ALBERTUS [42]), PAUL. IUCH [43]), IOH. HEINRIC. SCHULZE [44]), FRANCISC. CHAUVIN [45]), PHILIPP. ADOLPH. BOEHMER [46]), I. P. HAHN [47]), CASPAR.

---

30) Scrutinium fontanellarum. Diss. Lipsiae 1654. 4.

31) De Fonticulis. Diss. Jenae 1657. 4.

32) De Fonticulis Diss. Argentorati 1669. 4.

33) Pyrotechnicum opusculum, de cauteriorum seu fonticulorum ad privatos partium affectus medendos utilitate. Vratislaviae 1672. 8.

34) De Fontanellis Diss. Marburgi 1673. 4.

35) De Fonticulis Diss. Jenae 1675. 4.

36) De Fonticulis Diss. Francofurti 1681. 4.

37) De Fonticulis, ubi irrationalis eorum in vulgari medicorum praxi usus ostenditur. Lervestae 1687. 4.

38-39) De Fonticulis suturae coronalis, insigni vitiorum memoriae remedio. Diss. Jenae 1696. 4. — De Cauteriis Diss. Jenae 1708. 4.

40) De Fonticulorum usu medico Diss. Halae 1727. 4.

41) De Fonticulorum natura, usu et abusu. Diss. Jenae 1729. 4.

42) De Fonticulorum noxia concretione Diss. Halae 1731. 4.

43) De vera et dubia fonticulorum efficacia. Erfordiae 1736. 4.

44) De Fonticulis caute occludendis. Diss. Halae 1741. 4.

45) De Cauteriorum usu. Monspelii 1778. 4.

46) De Fonticulis, eorumque effectibus. Halae 1781. 4.

47) De Fonticulorum usu in sanandis morbis. Argentaurat. 1784. 4.

Bartholinus [48]), Henric. van Sander [49]), Car. Ios. Maximin. Quirinus [50]), F. M. Remond [51]), Valentinus [52]), Thunberg [53]), Engelhart [54]), Bernardin [55]), Eduard. Bern. Ios. Deshayes [56]), Claude Jean Bapt. Cothenet [57]), Jos. Cretin [58]), Aulagnier [59]), Imbert-de Lonnes [60]), Morel [61]),

---

48) Syntagma medicum et chirurgicum de Cauteriis, praesertim potentiale agentibus, seu ruptoriis. Hafniae 1642. 4.

49) De causticis medicamentis Diss. Regiomonti 1697. 4.

50) De Cauteriis Diss. Lovanii 1794. 8.

51) Sur l'emploi des Caustiques ou Escarotiques dans quelques maladies. Paris 1808. 4.

52) Historia Moxae, cum meditatione de podagra. Leidae 1686. 12.

53) Diss. de Moxae atque Ignis in medicina rationali usu. Upsalae 1788. 4.

54) Diss. de Usu Moxae. Londini 1799. 4.

55) Diss, sur les avantages qu' on peut retirer de l'application du moxa et de la pratique de l'opération de l'empyème. Paris 1803. 4.

56) Diss. sur les maladies les plus communes et les plus habituelles du canton de Douay, et quelques observations sur le Moxa. Paris 1806. 4.

57) Dissertation medico-chirurgiale sur le Moxa ou Cautère actuel. Paris 1808. 4.

58) Proposition sur l'application et les effets du Moxa. Paris. 1809. 4.

59) Recherches sur l'emploi du feu dans les maladies reputées incurables. Paris 1805.

60) Nouvelles considérations sur le cautère actuel, apologie de ce remède comparé au caustique. Avignon et Paris 1812.

61) Mémoires sur l'application du feu au traitement des maladies. Paris.

Gondret [62]), James Earle [63]), Murray [64]), Costaeus [65]), Rivoli [66]), Aetii Basil [67]), Rhazes [68]), Avicena [69]), Hieron. Fabric. ab Aquapendente [70]), Tulpius [71]), Prosp. Alpinus [72]), Lambezweerde [73]), Wedel [74]), Le Laumier [75]), Crot [76]), Spiritus [77]),

---

62) Considérations sur l'emploi du feu en médecine. Paris 1819. 8.

63) On the Effects of Fire on the human body. London 1803. 4.

64) De Usu ustionis vario, praecip. d. gangr. metast. Upsal. 1787. 8.

65) D. igneis medicinae praesidiis. Ven. 1793. 4.

66) Osservazioni prattiche sull uso del fuoco, considerato come presidio chirurgico. Milano 1787. 8.

67) De ustione in morbis articuli. Cap. 25. p. 593.

68) De juncturarum affectionibus. Cap. 15.

69) Libri de re medica omnes. Venet. 1564. Lib. IV. Ten. V. Tract. I. C. 26.

70) Chirurgia Cap. CXIIX.

71) Observat. med. Lib. III. Cap. 26.

72) De medicina Aegyptiorum. Lugdun. Batav. 1719. 4. L. III. c. 12. 23.

73) Appendix ad Sculteti Armamentarium chirurgicum. Francofurti 1666. 8.

74) De Cauteriis Diss. Jenae 1677.

75) Diss. de Cauterio. Paris 1760. 8.

76) Diss. de legitimo ustionis usu in quibusdam morbis. Lugdun. Batav. 1777.

77) Diss. de Cauterio actuali. Goetting. 1784. 8.

Joh. Gottl. Bernstein [78]), Casper [79]), Le Cat [80]), Aliique [81]).

## §. III.

De cauteriorum effectu in universum.

Cauteria in universum adhibentur ad vitam alicuius partis vel augendam, vel commutandam, vel adeo plane destruendam. Augetur autem processus vitalis per contractionem vel irritationem inflammatoriam fibrae organicae a cauterii usu exortam. Commutatur, humoribus vel adductis, vel deductis, vel malo quod dicitur vicario excitato. Destruitur, fibra organica vel exesa, vel dissoluta vel exsiccata. Ceterum inter cauteria non modo quantitativa vel gradualis sed qualitativa etiam differentia obtinet, si ad ipsum agendi modum, quo corpus aggrediuntur, respicias. Exemplo tantum propono ferrum candens et lapidem causticum chirurgorum, quae actionis respectu maxime inter se contraria esse constat. Ferrum candens cito, adeoque temporis momento agit, partem quam tangit exsiccat,

---

78) Practisches Handbuch für Wundärzte und Geburtshelfer. Leipzig 1790. 8. Tom. I. Voc. Cauterium.

79) Charakteristik der französischen Medicin mit vergleichenden Hinblicken auf die englische. Berlin 1822. 8. p. 150.

80) Le feu ou cautère actuel etc. in Prix. de l'ac. d. Chir. VII. p. 130. Uebers. in Galer. d. ber. Wund. Fr. 1. B. p. 185.

81) Dictionnaire des sciences médicales. Art. Moxa. Moxibustion, Feu, Cautère, Cauterisation etc.

exsiccatam in carbonem convertit, lapis causticus contra tardius agit, escharam quidem gignit, sed humidam, partemque organicam putrefacit. Ferri caudentis actio temporis momento ad partes remotissimas propagatur, lapidis caustici vero finibus arcte circumscripta est. Attamen illud multo minores dolores excitat, potentiale cauterium, quod summo actionis gradu lapis causticus refert, vehementissimos; hoc saltem ex aegrotantium testimoniis discere licet. Ignis ope calorici in partem organicam emanantis effectum suum praestat, cauterium potentiale vero per decompositionem partis organicae chemicam. [1]) Ferrum candens sanguinem e vasis adeo maioribus profluentem sistit atque coërcet, lapis causticus ipsi viam potius aperit quam occludit. Ignis in cuti vicina prope escharam inflammationem hypersthenicam longe lateque propagat, lapis causticus vero inflammationem potius asthenicam excitat, quam vix late propagari notum est. Praeterea suppuratio post usum ferri candentis orta semper benigna est, pus optimum largiter secernitur, suppuratio contra, quae effectum lapidis caustici sequitur, maligna et ichorosa est. Eschara tardius decidit, in vulnere autem ferro candenti usto cito deiicitur. Si qua de causa gangraena post adhibitum ignem nata est, non

---

1) Conf. Encyclopaedie l'article: Ustion, de *Fouquet*. — *Delonnes*. L. c. pag. 91.

late, sin autem ulceri lapide caustico exeso supervenit, longe lateque et satis quidem celeriter propagatur. Facultas enim vitalis in proximis partibus organicis depressa est, quum post ignis usum aucta esse soleat. Delapsa crusta post ferrum candens adhibitum, facies secretoria pura et integra est, granulatio sana excrescit, post lapidem causticum vero impura et ulceris naturam refert. [2]) Denique ferri candentis usum apte coërcere facileque dirigere possumus, sic ut modo vehementer modo mitius id adhibeamus. Cauterium potentiale contra sic partem organicam exedit ut eius effectus apte contineri non possit, sed ultra modum ac veluti temere progrediatur [3]).

## §. IV.

### De cauteriorum indicationibus in universum.

Meta quam attingere volumus adhibendis cauteriis non semper eadem est. Possunt ea diversissimis sub conditionibus diversissimumque ad finem in usum vocari. Qua de causa pernecessarium est, generales eorum indicationes breviter perpendere. Ad cauteria igitur confugimus, si qua pars aliqua de causa amovenda est, sique ceteris auxiliis quibus eam destrua-

---

2) Conf. *Burdach* de natura causticorum. Progr. Lipsiae 1807. 4.

3) *Rust* Arthrokakologie L. c. §. 147.

mus, destituimur. Huc maxime pertinent pseudorganisationes quaedam, quas dicunt, caro luxurians, etc. Tum si cutis aliquam ob causam aperienda est, aegrotantesque cultrum timent. Saepe sic viae per cutim patefaciendae sunt, ad emittendum aliquem humorem sub illa stagnantem, saepe etiam abscessus sic aperiendi sunt, si culter nimium aegrotanti timorem incutit, quamvis hunc pessimum abscessus aperiendi methodum esse, omnes chirurgi profiteantur. Attamen fieri etiam potest, ut tam iners sit abcessus, ut ferramento candente commode excitetur [1]). Quibusdam sub conditionibus nullum praestantius auxilium est, ad ulcera artificialia excitanda, quam ignis. Cutis etiam degenerata, si amovenda est, optime a cauterio actuali destruitur. Deinde, quando humores per morbum aliquo loco depositi sunt, eiusque morbi natura exigit, ut illorum receptaculo quam citissime in inflammationem sthenicam coniiciantur, nihil magis quam cauterium actuale indicatum est. Quod maxime valet de hygromate, de tumoribus lymphaticis [2]) ac purulentis maioribus, nec minus

---

1) *Commentz*, de variis abscessus aperiendi methodis. Diss. Berol. 1820. 8. §. 15. — *Pouteau*, Oeuvres posthumes. Paris 1783. Tom. I. p. 119. — *Albert*, Preisfrage, worin besteht das freiwillige Hinken der Kinder? Wien 1807. p. 60.

2) Ph. v. *Walther*. Ueber die wahre Natur der Lymphgeschwülste, in *Graefe* u. v. *Walther* Journ. f. d. Chir. u. Augenh.

minus de plerisque abscessibus criticis metastaticisque, ubi illae de quibus modo retuli conditiones intrant. Denique omnes morbi, qui suppuratione celeriter excitata et diu sustentata aut averti aut sanari possunt, cauterium prae ceteris requirunt, quales sunt arthrocace, catarrhus pulmonum, tumor albus, vulnus venenatum, maxime a morsu canis rabidi, ubi instans morbus atrocissimus nullo remedio certius et commodius praecavetur. Postremo omnes morbi huc referendi videntur, qui per methodum derivatoriam efficaciorem curandi sunt. Nihil certe vehementius atque cum certiori spe successus derivat, quam cauterium actuale, et potentialium nonnulla. Hoc in partibus alte reconditis facultatem vitalem ex toto permutare licet, sic ut suppuratio antea maligna in benignam convertatur, vel inflammatio derivetur, vel inertia in excitationem convenientem permutetur etc. quae omnia legibus antagonismi et consensus accommodata contingunt.[3]). Prae ceteris autem huc pertinent oculorum et articulorum inflammationes, rheumatalgiae, neuralgiae, ischias, dolor faciei[4]), dolores capitis pertinacissimi[5]),

---

B. 2. St. 4. — Ueber die Natur, Erkenntnifs und Heilung der Lymphgeschwülste von J. N. *Rust*, in *Harless* Jahrb. der Medic. und Chir. Fasc. 2. N. I.

3) *Rust* Arthrokakologie L. c. §. 150.

4) *André* (*Waton* Journ. de med. chir. et pharm. 1793. T. 93. Mars. N. 1.)

5) Cfr. auct. in §. X. (n. 4.) citati.

spasmi [6]), cuiuscunque generis, ut trismus, epilepsia, etc. Paralyses [7]) adeo adhibito cauterio cedunt, ut amaurosis [8]), cophosis, aphonia, optimeque vertigines, insania [9]), fatuitas, oblivio [10]), cauteriis curantur, maxime iis, quae per longum tempus vehementes dolores sustentant, ut unguento tartari stibiati [11]). Omnes denique atoniae, quales sunt oculi ex laxitate procidentia, blepharoptosis, luxationes spontaneae, praecipue vertebrarum. Extremo loco sanguinis profluvia commemoranda sunt, parenchymatosa, ex ultimis vasorum finibus, quibus stypticis medicamentis occurrere non licet. Haec quod omnibus bene notum est, saepe praesens periculum afferunt, qua de causa exoptatissimum

---

6) Vid. auct. infra §. X. (n. 4.) recensendos.

7) *Hipp.* Op. c. de articulis. Sect. III. — *Abulcasis* Chir. P. I. C. 10. — *Charles Bell* a system of operative surgery founded on the basis of Anatomy. The second edit. in 2 Vol. London. A. d. Engl. von Kosmely. Berlin 1815.

8) *Schmidt* in Abhandl. d. k. k. Joseph. Akad. 2 Th. p. 380. — V. infr. §. X. (n. 4.)

9) *Gordonius* (Lib. med. P. II. c. 19.) efficaciam cauteriorum ad suturas coronales probat. — *Mercurialis* (Consil. L. X. c. 6.) brachia et crura eligebat. — Septem cauteriis usus est *Severinus* (med. efficaci l. c.) Cauteria ad cranium, ut nudum inde compareat, praescribit *Arnold.* de *Villanova* (Brevi. L. I. c. 18.)

10) *Severinus* pyrotechn. chirurg. L. II. P. I. c. 10.

11) *Eduard Jenner*, a Letter to *Charles Henry Parry* on the Influence of artificial Eruptions, in certain diseases incidental to the human body. London 1822. 4.

remedium est ustio ferri candentis ope, qua temporis momento teneri vasculorum fines crusta sanguinem sistente occluduntur.

## §. V.

### De cauteriorum contraindicationibus in universum.

Generalis regula est, ne cauterium adhibeatur, ubicunque mitiori qualicunque remedio metam propositam attingere licet. Ubi itaque sinapismus vel vesicatorium sufficit, ferrum candens non admovendum est, quod etiam de ceteris vehementioribus medicamentis valet. Sensibilitas ac debilitas nimia cauteriorum usum vetant, vehementissima enim irritamenta sunt, ideoque timendum est, ne in illa nervorum functiones perturbentur, spasmi, convulsiones oriantur, in hac reliquae vires magis consumantur, quam corpus ferre potest. Haud minus in omni cachexia cauteriorum usus caute vitandus est, pars enim usta facile malignitatem aliquam contrahit, quoniam vis reproductiva in toto corpore morboso, topicum etiam malum in deterius vertit. Ceterum minime ad omnem partem cauteria adhiberi possunt, manus certe prope nobiliora organa ab iis abstinenda est, ubi actionem eorum haud convenienter coërcere valemus, hic enim timendum est, ne illa periclitentur. Denique cum omne cauterium cicatricem relinquat, posthabendum est, ubi illa partem ustam de-

honestat, maxime in facie, ubi nemini in mentem veniet, nisi summo in periculo cauterio cutim exulcerare.

## §. VI.

### De cauteriorum potentialium indicationibus et actualium contraindicationibus.

Quanta utriusque cauteriorum generis in agendo differentia sit, ex supra (§. III.) allatis clare elucescere existimo. Indubium itaque est, etiam indicationes et contraindicationes eorum ad hanc differentiam formandas esse. Igitur potentiale cauterium locum habet, ubicunque mitius partem laborantem aggredi sufficit. Hic e potentialibus mitius aliquod eligemus, et curationem quoque secundariam ita moderabimur, ut ad hunc finem accommodetur. Tum ubi amovendus morbus nimia vasorum excitatione inflammatoria comitatus est, quam ignis auget. Deinde ubi pars ustione destruenda maior est, magisque in latitudinem patet, quam ut semel adhibito ferro candente destrui possit, et hoc insuper maior in partibus vicinis inflammatio excitaretur. Hic certe ad potentialia cauteria confugere convenit. Denique multi sunt, qui in curandis vulneribus venenatis cauteria potentialia actualibus praeferant, ubi virus chemice potius ac decomponendo aggrediendum est, ferrum vero ignitum crustam efficit firmiter adhaerentem, quae ob id ipsum virus diutius re-

tinet. Equidem cauteria potentialia in vulneribus venenatis in universum praestare credo.

## §. VII.

### De cauteriorum actualium indicationibus et potentialium contraindicationibus.

Iam vero quod modo de vulneribus venenatis (§. VI.) dixi, aliquam exceptionem recipit. Potentialia quidem cauteria chemice magis quam actualia decomponunt, sed tamen multo tardius agunt. Fieri autem potest, ut periculo morbi universalis imminente, virus quam citissime. si fieri potest, temporis momento destruendum sit, ut in cicatrice morsus canis rabidi, ubi hydrophobiae prodromi erumpunt, ac ipse morbus proxime instat. Hic haud dubie ferrum candens praeferendum erit [1]). Scimus quoque ex supra (§. III.) allatis, ignem partem organicam ad auctiorem vitam excitare, et inflammationem, eius usum secutam, synochicam esse. Talis vero synochica inflammatio valde necessaria est, ubi pars affecta ad decompositionem, putrefactionem inclinat; ferrum igitur candens hoc malum optime praecavere poterit. Praeferendum itaque est in malis scorbuticis, maxime ulceribus, nisi ossa praxime posita sunt. Idem valet de sup-

---

1) Kurzer Begriff des Lebens und Wunderwerke des heiligen *Hubertus*. Luxenb. 1756. — Theol. Gutachten üb. d. Brennen m. d. *Hubertus*-Schlüssel, i. d. Mainz. Monathschrift. 1790. p. 321. — *Richter*, specielle Therapie. Berlin 1817. T. 8. p. 242.

purationibus ichorosis, copiosis, cita exsiccatione minuendis, de gangraena humida, de carbunculo, de arthrocace in stadio quarto. Denique cauterium actuale praestat in coërcendis haemorrhagiis, ubi cetera sanguinem sistendi remedia adhiberi non possunt, sed auxilium tantum ab eschara firmiter agglutinata expectandum est. Huc prae ceteris referenda sunt sanguinis profluvia ex arteria ranina, aliisque, quas ligamento excipere non licet, ut interossea, vel nutritia aliqua maiori in ossibus, ex palati partibus magis reconditis [2]), nec minus perenchymatosa ex fungis et partibus gangraena humida affectis, denique post operationem telangiectasiae. Raro in amputationibus membrorum ad hoc remedium confugiendum est. Arteriae enim plerumque oculis expositae, facile vinciri, sique reconditae sunt, filo saltem circumduci possunt.

---

# Sectio secunda.

## *De cauterio actuali.*

### §. VIII.

### De cauterio actuali in universum.

Cauterium actuale, ut e supra (§. I.) allatis elucet, id est, quod ipso igni partem urendam

---

2) *J. Warner* cases in surgery. Lond. A. d. Engl. Lpz. 1787. 8. p. 194.

destruit. Eschara sive crusta, quam efficit, vita plane destituta est, partem enim, quam tangit ignis quousque vehementior eius actio, id est combustio pertinet, ex toto necat. Illa sicca esse solet, exsiccatis humoribus, et vasis, quae eos advehebant emortuis, vasis interim lymphaticis proximarum partium resorbere pergentibus, et evaparatione etiam ob subortum calorem inflammatorium aucta. Haec inflammatio sensim et gradatim in suppurationem benignam convertitur, nisi facultas vitalis circumiacentium partium aliquo casu exhausta est, sic ut gangraena oriatur. Suppuratione pars aliqua subiacentis telae cellulosae obsumitur, eschara pure secreto emollitur, et ita disiuncta delabitur.

## §. IX.

### De cauterii actualis variis generibus.

Quum vapores aquae calidi per ipsum calorem agant, ad cauteria etiam actualia referri poterunt. Est itaque horum duplex genus, alterum, quo calore sicco, alterum, quo calore humido utimur. De vaporibus calidis Dzondio [1]) auctore ope siphonis ad partem admittendis, supra (§. II.) expositum est. Calorem siccum variis formis adhibemus: 1) Ferro candente, 2) moxa, 3) pruna afflata, 4) vitro lenticulari ustorio.

---

1) Aesculap, eine med. Zeitschrift. L. c.

# Caput primum.

## §. X.

### De ferro candente.

Meta, quam ferri candentis usu attingere volumus, triplex est. Modo enim ustio *haec loco* derivatorii adbibetur, ubi in parte cutis ab affecto organo remotiori inflammationem et suppurationem hanc secuturam derivandi causa provocamus, modo ipsam partem affectam per contactum ferri candentis destruimus, modo praeter hanc destructionem etiam inflammationem proximarum partium molimur.

De locis ferro candente urendis praeter aliquot regulas et cautelas latius circumscriptas generatim nihil evinci potest. Ingens enim et sede et natura morborum diversitas est, qui hanc medelam requirunt. Adhibetur autem vel ad ipsum locum affectum, vel procul ab hoc ad alium. Ipse locus affectus uritur, ubicunque depravati ac vitiati aliqnid remomendum est. Sic ipsum os cariosum, ipsum ulcus putridum, ipsam carnem luxuriantem deurere solemus. Hic etiam ut supra (§. III. et VII.) monui id consequi studemus, ut inflammatio excitetur, quae maiorem relaxatae fibrae vitam conciliet. — Remotum ab affecta parte locum urere consuevimus, ut

morbum derivemus, eundemque veluti foras evocemus (§. IV.). Hic laudibus suis extollenda esset indicatio morborum sanandorum derivatoria, quam ceteris fere omnibus praestantiorem esse medici uno ore profitentur. Sed mittamus hoc, quum minus ad propositum nostrum pertineat, alias evincere studerem, plerasque medendi methodos legibus consensus et antagonismi parere, id est derivatorias esse, sive externe sive interne ut dicunt aegrotanti succurramus. Multi autem morbi ceteris medicamentis nullo prorsus modo cedentes, ferro candente optime felicissimeque debellantur. Pertinet huc prae ceteris epilepsia [1]), quam approbrium medicorum esse bene scimus, ferro ignito

1) *Aretaeus* cur. chron. L. I. C. 4. (Capiti usque ad secundam laminam). — *Celsus* L. III. C. 23. (capiti). — *Riverius* Prax. med. Lib. cap. 7. de Epilepsia. Obs. Cent. II. N. 93. (suturae coconali). — *Forestus* L. X. obs. 61. (nuchae). — *Schenk* obs. L. I. N. 233. (testimonia plurima cauteriorum variis in partibus applicitorum). — *Tulpius* L. I. C. 56. (nuchae) IV. C. 3. (pollici pedis, a quo aura ascendebat). — *Meekren* obs. med. chir. C. 5. (ad suturam coronalem). — *Blankard* collect. med. phys. Cent. IV. N. 16. (genu, unde aura epileptica). — *Heister* Institut chir. P. II. p. 38. — *Herm. Boerhave* Praelectiones academicae de morbis nervorum. Lugdun. Batav. 1741. 8. T. II. p. 770. seq. — *Rudolph* Diss. de cranii ustione in epilepsia. Erl. 1768. — *Haase* über die Erkenntnifs und Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1817. 8. 4. T. T. II. p. 103. — The american medical and philosophical Regisre. 1813. Jun. — *Willisius* de morb. convulsiv. Cap. IV. — De *Haen* ratio medendi T. VI. p. 284. — *Poulier* in Journ. de médecine. T. XVI. p. 261.

vel ad verticem vel ad nucham audacter adhibito. Quod mirum esse non potest, non modo enim ingens dolor morbum a cerebro avertit, id quod consentaneum est summo pathologiae generalis proposito, quo maius malum minus obscurat, sed etiam inflammatione synochica et suppuratione benigna largissimaque excitata, nova etiam in remotiori parte vita exoritur. Tum amaurosis, iisdem locis ferro ignito exulceratis et ophthalmiae nonnullae genera, quae citum caecitatis periculum adducunt [2]). Facile tamen largior, ex his ea, quae tunicam corneam celeriter obscurant, potentialium potius cauteriorum usum requirere quibus vehemens dolor per longum tempus excitetur. Sic v. c. in keratitide scrofulosa, quae corneam saepe lacteo colore tingit, ideoque cernendi facultatem in perpetuum eriperet, nisi certum quoddam auxilium ferretur, verticem lapide infernali largiter imposito ad os usque exulcerare, quam ferro candente urere praestat, quoniam dolor intolerabilis hoc modo per duodecim horas excitatur morbum firmiter inhaerentem optime avellit, id quod ab igni semel adhibito haudquaquam ex-

---

2) *Demours* Exercit. pract. p. 109. — *Lud. Frank* in Salzb. med. chir. Zeit. 1795. 2. B. p. 185. — *D. G. Kieser*, über die Natur, Ursachen, Kennzeichen nnd Heilung des schwarzen Staares. Götting. 1811. 8. p. 143. — *C. H. Weller*, die Krankheiten des menschlichen Auges, ein Handbuch für angehende Aerzte. 2te Aufl. Berlin 1822. 8. — Vid. supra §. IV. (n. 8.)

pectandum foret. Quam bene ferrum ignitum insanis [3]) conducat, vertici vel nuchae admotum, satis omnino inter medicos constat [4]). Nec minus horrendissimi illi capitis dolores, quos clavum dicunt, ob similitudinem clavi capiti alte infixi, et hemicraniam, qui ad desperationem saepe aegrotantes adducunt, ignito ferramento filicissime debellantur [5]). Est quoque typhi quoddam genus, paralyticum dictum, in quo cum cetera cuiuscunque generis incitamenta nihil profecerunt, ferrum ignitum saepe prostratas vires erigit, spemque salutis affert [6]). Cophosis nervosa porro ustione in processu mastoideo instituta saepe feliciter impugnatur [7]). Ophthalmiatri etiam proponunt, ferrum ignitum eidem loco admotum auxilio esse in blepharoptosi, multis experimentis edocti, hunc locum prae

---

3) Vide *auct.* supra §. IV. (n. 9.) recensend.

4) *Aulagnier*, *Imbert de Lonnes*, *Morel* et *Valentin.* LL. cc in §. II. (n. 59. 60. 61. et 17.) huius.

5) *Hipp.* περὶ παθῶν. §. 13. — *Aretaeus* de morbis chronicis. Lib. I. cap. 2. — *Celsus* L. c. Lib. IV. c. 2. — *Aulagnier*, *Imbert de Lonnes*, *Morel et Valentin.* LL. cc. p. 49. 132. 136. 140. 143.

6) *J. N. Rust* Magazin der gesammten Heilkunde B. II. H. 1. p. 150.

7) *F. M. G. Itard*, Traité des maladies de l'oreille et de l'audition. A Paris 1821. 8. Tom. II. Ch. XVI. §. VI. p. 323. seq. — Salzb. med. chir. Zeitung. 1803. p. 52. — *Loder* chir. med. Bemerk. 1. B. p. 238. — *Valentin.* L. c. —

ceteris eligendum esse ad mala quaecunque ab oculis derivanda. Dolores dentium saepe curationem recipiunt, antitrago auris usto, ceteris remediis frustra adhibitis. Sic etiam in tetano et trismo ferrum ignitum nuchae frequenter admotum est [8]), longe autem frequentissime nostris temporibus articulorum regiones urere solebant etiamque solent, morbo aliquo, maxime arthrocace quae dicitur internas eorum partes devastante [9]). In arthrocace saltem nullum efficacius remedium excogitari potest, ceteros autem articulorum morbos haudquaquam semper ustionibus levari, adeoque saepius in deterius verti commonefacit nostrae aetatis peridoneus auctor [10]). Articulorum vero relaxationem optime sic curari, plurimorum testimonia confirmant. In ischiade nervosa Cottuni summo cum successu digitum pedis quartum et quintum

---

8) *Celsus* op. c. L. IV. C. 3. (cervici in tetano.) — *Abulcasis* L. c. P. I. c. 7. — *Valentin* coup d'oeil sur les différentes modes de traiter le tetanus en Amerique etc. Paris 1811. — *Pochon* v. *Sedillot* Journ. de méd. 1812. p. 107. — *Brera* Giorn. di med. pract. Vol. 2. — *Larrey* Denkwürdigk. aus dess. Feldzügen. Aus d. Franz. Thl. I. Leipz. 1813. p. 514. — *Mursinna's* neuest. Journ. f. d. Chir. etc. B. 2. St. 3. p. 399. — Medic. Commun. of the Massachusetts Soc. Vol. II. Boston 1813. N. 15.

9) *J. N. Rust*, Arthrokakologie etc. L. c.

10) *B. C. Brodie*, Pathological and chirurgical Researches respecting the Diseases of Joints, in Medico-chir. Transactions: Vol. IV. V. et VI. Aus d. Engl. von *Holscher*. Hanover 1821. 8. — Cf. *Horn*, Archiv für medic. Erfahrung. 1821. Fasc. 3.

uri [11]), Petrinus multis experimentis comprobavit [12]). In eadem auris lobulum, prope trochanterem et sub genu aut super malleolum urere solitos esse medicos apud Zacutum Lusitanum [13]) aliosque relatum legimus [14]). Sic neuralgia facialis [15]), hydrocephalus chronicus [16]), apoplexia spasmodica [17]), cataphora [18]), et oedema capitis [19]) ignito ferramento feliciter

---

11) De ischiade nervosa Comment. Neap. 1780. Icon. F. K. I.

12) Neue Heilmethode des nervösen Hüftwehes. Aus d. Ital. Detmold 1787. p. 136. f. 1. a. b.

13) Opera omnia in duos tomos divisa. Lugdun. 1749. fol.

14) *Colla* Giorn. d. Soc. med. di Parma in *Harless* Annalen H. 2. Nürnb. 1811. — *Brenneke* in Asclep. 1811. Jun. N. 55. — *Richter* med. chir. Bemerk. p. 162. — *Flajani* Collez. d'osserv. T. 3. obs. 51. — *Loder* chir. med. Beob. 1. B. p. 242. — De *Matheis* Ratio instituti Clin. Romani 1816. Tab. Hist. XIV. — *Joseph. Frank*, Praxeos medicae universiae praecepta. P. II. Vol. I. Sect. II. p. 196. — *Aulagnier*, *Imbert de Lonnes*, *Morel* et *Valentin*. LL. cc. — *Rust* Arthrokakologie etc. L. c.

15) *Degnerus* Act. n. cur. V. 1. N. Ed. 2. obs. 159. — *André*. L. c. — *Guincourt* Obs. sur une neuralgie maxillo-dentaire guerie au moyen de cautère actuel. Journ. de méd. T. 15. p. 348.

16) Cfr. *auct.* supra (§. X. n. 5.) citati.

17) *Lancisius* de subitaneis mortibus. Opp. Genev. 1718. Cap. V. §. 12.

18) Ad verticem (*Rhodius* Lib. I. obs. 36.) et retro aures (*Zacutus Lusitanus* Op. c. prax. Histor. Lib. VII. obs. 4.)

19) Postico capiti admotum (*Celsus* L. c. Lib. IV. c. 2. — *Lanzwerdius* L. c. obs. 33. fol. 253. — *Carolus Piso* de morbis ex serosa colluvie. p. 39. — *J. P. Frank* Epit. de curand. hom. morbis. Lib. I. p. 161. 422.)

debellantur, ut breviter dicam, nullus fere morbus est, in quo minus ad extremum hoc auxilium curantes se receperint. Hanc curationem quidem neglexerunt chirurgi per longum tempus, ideo quod rationalem eius indicationem parum intelligerent, nuper vero ad lucem eam revocavit celeberrimus KLEIN, narratis duabus aegrotorum historiis in quibus subitaneum et insperatum auxilium hoc mirum ustionis genus attulit [20]).

## §. XI.

Vir illustrissimus Dr. ARDIEU, medicorum in exercitu Franco-gallico olim summus praefectus, nunc vero Comitissae excellentissimae SOPHIAE POTOCKA in Podolia medicus, complures maximi momenti observationes de ferri candentis utilitate mecum benevolentissime communicavit, quibus dissertatiunculam meam ornare nullus dubitavi, quum maxime apud medicos eius viri auctoritas valeat. Attamen vehementer doleo, ob angustos commentarioli inauguralis limites tantum indicari nec fusius describi posse, quid ab eo tam egregie observatum sit.

1. Tumorem igitur album genu ferri candentis ope bis felicissime sanavit.

2. Contemporaneorum observationes de eximia ferri candentis utilitate in curandis luxatio-

20) *Graefe* und v. *Walther*, Journal der Chirurgie und Augenheilkunde. Tom. III. Fasc. 4. p. 605.

nibus femoris spontaneis, coxarthrocace a Rustio dicta, non semel suis experimentis confirmavit.

3. In puero undecim annorum spinam bifidam haud excultam quidem, sed tamen incipientem ad insperatam sanitatem perduxit.

4. Glandulae submaxillari tumore scrofuloso laboranti, iamque per aliquot annos pus malum largiter fundenti ferrum ignitum quotidie per aliquot secundas ad distantiam trium linearum admovit; ferramento autem utebatur nummulari. Brevi post suppuratione meliore facta, glandula sensim et gradatim deminuebatur, sic ut naturalem suum ambitum recuperaret, et cicatrix solida confirmaretur.

5. Ulcera nonnulla marginem alae nasi exedentia, quae pertinacissimis adnumerari nemo medicorum ignorat, in homine quinquagenario ferramenti nummularis ope ad optimam cicatricem perduxit, quae brevi post delapsam escharam confirmabatur.

6. Fistulam multiplicem ab ossis sequestre ortam, tempore legitimo extracto, aliquot annorum spatio vehementer callosam factam, sic ut parietes praeduros referret, ferro ignito ussit, dissecta prius cuti inter varia eius orificia posita. Cicatrix, quae alias expectanda non fuisset, brevi confirmata est.

7. Trichiasin sanavit, quae iam per aliquot annos aegrotanti molesta tandem caecitatem minabatur, ita quidem, ut arreptis singulis ciliis

locos bulborum haec emittentium extrinsecus specillo ureret. Liceat hic adnotare utilissimum esse ferri candentis usum etiam in aliis maximeque organicis palpebrarum morbis. Ectropium saepe nullo remedio commodius, quam ferro candente, adeoque induratum et sarcomatosum factum igni feliciter debellatur [1]). Vitia organica post ophthalmiam contagiosam residua similiter hoc remedio efficaci curantur, nec minus blepharophthalmiae genus quoddam chronicum, quod maxime a variolis originem capit.

8. Abscessus perinaei purulentus prope rectum fistulas plures emittens atque ex metastasi lactea ortus brevi tempore sanatus est, ferro candente ad interiorem partem regionis sacrae iterum iterumque adhibito.

9. Prae ceteris autem memorabile est epilepsiae exemplum, quo aura epileptica instar afflatus frigidi ad regionem secundae ac tertiae vertebrae cervicalis orta per aliquot minutas de appropinquante paroxysmo aegrotantem certiorem faciebat. Illustrissimus Ardieu hanc regionem protinus atque aura sentiri coepit intrepide ussit. Proximus epilepsiae insultus mitissimus fuit, subortaque benigna ac larga suppuratione morbns postea haud reversus est. Hoc medendi genus sane utilissimum frequentius in usum a medicis

1) *Godofr. Guil. Luce* de ectropio sarcomatoso per ferramentum candens sanando. Diss. Berolin. 1819. 8.

medicis vocari meretur. Ustione enim illo temporis momento adhibita toti morbo obicem ponere licet.

10. Otorrhoeam chronicam pnrulentam auris dextrae demum post variorum usum medicamentorum moxa suppressit in processu mastoideo deusta.

11. Inflammationes oculorum, maxime coniunctivitis quae dicitur et blepharophthalmiae, quas ceuterio ad processum mastoideum adhibito optime derivari posse, suo loco (§. IV. et X.) commemoravi, moxa audacter in hac ipsa regione deusta non semel feliciter ad sanitatem perduxit.

12. Phthiseos quaedam genera igni adhibito non modo levari, verum etiam sanari ex toto posse, haud nova observatio est. Percyus v. c. qui curandi rationem per cauteria actualia mirifice amplificavit, plurima eiusmodi exempla affert [2]). Ill. Dr. Ardieu phthisin moxa et ferro candente ad sternum aliquoties admotis feliciter sanavit, e vulnere pectoris sclopetario ortam. Suppurationis focus in cavo mediastini anteriore erat patente fistula ad exteriora.

13. Similiter auxilium tulit homini phthisi quae trachealis videbatur ex repercussa scabie inveterata laboranti, adhibitis simul fumigationibus ex acido benzoico et gase hydrogenico sulphurato.

---

2) Dictionnaire des sciences médicales. Voc. Moxibustion. — *Casper* Characteristik der franz. Medicin L. c. vid. supr. §. 2.

14. Aeger profunda inguinis sinistri suppuratione iam per aliquot annos laborant, cui nullum medendi genus suppetias tulerat, tandem auxilium impetravit ab Ill. Ardieu, qui moxam iterum atque iterum prope orificium fistulosum adhiberi iussit.

15. Extremo loco breviter tantum commemorare liceat temerariam medici circumferanei in Helvetia medicinam, de qua benevole certionem me fecit Ill. Ardieu. Hic igitur tumores scirrhosos auripigmento curavit ex quo trochiscos confectos quam penitissime tumoribus antea lanceola apertis inserere consueverat. Biduo aut triduo post febris supervenire vehementer inflammatoria, totus vero tumor gangraena ex toto destructus brevi excidere solebat. Ingens plerumque vulnus procedente tempore benignius factum haud raro ad cicatricem pervenit, saepe tamen aegri prima febrili periodo expiraverunt.

Ill. Ardieu audacter ac vehementer ferrum candens adhibendum esse censet, sic ut quam latissima cutis facies uratur. Ferramentum prismaticum cum Rustio ceteris ferramentorum formis utique praeferre solet, iisdem rationibus adductus, suppurationemque per longissimum tempus sustentare consuevit.

## §. XII.

### De variis ferramentorum formis [1]).

Diversissimae formae ferramenta ad urendas partes medici adhibuerunt, quod mirum esse non potest, quoniam urendarum partium diversitas, et varium etiam urendi consilium varios modos requirere videntur. Optime has formas et describendo et delineatis figuris illustravit celeberrimus apud Francogallos JOURDAN [2]). Usitatissimae igitur hae sunt:

1. *Ferramentum nummiforme* [3]), quod in extremo bacillo ferreo laminam ad similitudinem nummi rotundam refert. *(Cautère à plaque ronde.)* Hoc adhiberi convenit, ubicunque facies cutis plana urenda est, ob nullum aliud concilium, quam ut ulcus derivatorium superficiarum formetur.

2. *Ferramentum capitulatum* [4]), *(Cautère à bouton)* maxime ad urendas arterias reconditas, quae sanguinem periculose fundunt, nec ligamento commode excipi possunt. Capitula autem et forma et magnitudine differunt.

3. *Ferramentum cylindricum* [5]), *(Cautère en roseau)* quod vagina inclusum reconditae

---

1) *Percy* L. c. f. 1-10. — *Brambilla* Instrum. Tab. XX. f. 1. 3. 5. 7. 10.

2) Dictionnaire des sciences médicales. Voc. Feu.

3) Tom. XV. Feu. Pl. 1. Fig. 4.

4) Tom. XV. Feu. Pl. 1. Fig. 2.

5) Tom. XV. Feu. Pl. 2. Fig. 4.

parti, v. c. faucibus varium ob consilium admovetur.

4. *Ferramentum conicum sive acuminatum* [6]), vel per se vel vagina inclusum adhibendum. *(Cautère à pointe.)* Maxime hoc ad perforandas partes utimur, v. c. ad foramen in abscessibus aperiendum.

5. *Ferramentum prismaticum* [7]) sive *cuneiforme*, ex Rustii sententia optimum, longeque plurimis urendi consiliis accommodatum. Hoc enim si nihil amplius opus est, angustam solummodo striam cuti inurere possumus. Calorem quoque, quum longe maior quam ceteris in cauteriis massa ignita sit, diutius retinet. Praeterea loco aliorum, maximeque nummiformis commode in usum vocari potest, et eo quod facilius et huc illucque moveri et imprimi potest, varios ustionis gradus efficit. Leviter impositum tantum cutim exulcerat, vehementius, telam cellulosam, magna cum vi, sic ut in partibus mollibus ferre condatur, subiectos etiam musculos.

6. *Ferramentum circulare* Percyi ad urendum synciput [8]). *(Cautère circulaire de* Percy *pour l'ustion syncipitale.)* Notum est, quam sedulo hic auctor pyrotechniae amplificandae

---

6) Tom. XV. Feu. Pl. 2. Fig. 3.

7) *J. N. Rust*·Arthrokakoligie etc. L. c. §. 151. Tab. VI. Fig. 3.

8) Dictionnaire L. c. Tom. XV. Feu. Pl. 1. Fig. 3.

operam dederit, huius vero ferramenti usui omnium facillime supersedere licet. Minus quidem dehonestamentum efficit, facileque ustum ad cicatricem perducitur, in morbis autem, qui syncipitis ustionem indicant, ad eiusmodi res haud respiciendum esse credo.

7. *Ferramentum cultriforme* [9]), *(Cautère cultellaire)*; lamina ferrea acie instructa atque ad similitudinem securis formata bacillo affixa est. Facile quispiam inutile hoc ferramentum esse primo adspectu crediderit. Fieri autem potest, ut pars quaedam simul secanda, simul urenda sit, ut nuper gravissimum ustionis experimentum narravit Kleinius, in nervo faciali prope egressum huius ex foramine stylomastoideo institutum. Senex quidam atrocissima pertinacissimaque prosopalgia misere conflictatus, omnibus medicamentis incassum adhibitis tandem huius sectionis ustoriae ope plane liberatus est [10]).

8. *Ferramentum octogonum*, planum, eundem usum ac nummulare habet. Denique Kleinius

9. *Ferramentum furcatum* [11]) adhibuit, laminis duabus extremae furcae bacilli affixis, ad

---

9) Tom. XV. Feu. Pl. 2. Fig. 1.

10) *Graefe* und v. *Walther* Journ. der Chirurgie und Augenheilkunde Tom. III. Fasc. I. p. 46.

11) *Graefe* und v. *Walther* L. c. Tom. III. Fasc. IV. Tab. V. Fig. 2. et 3.

utrumque latus spinae dorsalis simul urendum. Haud magnam sane utilitatem hoc ferramenti genus pollicetur. Vix magna enim mora retardamur idem simplici ferro perficientes.

Ceterum medicus exercitatus omne ferramentum ad usum suum accommodare facili negotio poterit. Praecipuas tantum formas breviter indicare volui, praeter has etiam inventioni latus campus relinquitur.

## §. XIII.

### Operationis descriptio.

1. *Instrumentorum apparatus.* Haec fere ad omnem ustionem necessaria sunt: Plura ferramenta, formae ad casus proprietatem respondentis; prunae in batillo laete candentes, follis aut flabelli ope subinde afflatae, forceps et reliqua ad alendum ignem pertinentia. Ad deligandum vulnus praeter linteolum adipe illitum, quo eschara contegenda est, ne vestimentis agglutinetur, et fasciam satis longam nihil opus est. Batillus vero extra conclave in quo aeger uretur habendus est, ne prunae noxios vapores spargant, neve illi tristi ignis et ferramentorum atroces dolores minantium adspectu perturbetur. Notum enim est, quantopere doloris alicuius expectatio noceat. Ceterum ferramenta bene candescant necesse est, quo candentiora enim sunt, eo citius urunt, eoque minores dolores efficiunt.

2. *Ministri* duo, tres adeoque quatuor adsistere debent, quorum unus ferramenta inspicere, eademque medico suppeditare debet, reliquis aegrum undique tenentibus. Aeger pro variis rerum conditionibus vel cubare vel sedere potest, sic ut locus electus commode uratur, ipsumque ferramentum sollicito aegrotanti lateat.

3. *Locus* etiam electus accurate ad ustionem praeparetur oportet. Siccanda cutis, deradendus capillus vel pili, purganda vulnera sunt, si pure vel ichore abundant, nec minus, si sistendi sanguinis causa ferrum candens admovetur, vasa prius quantum fieri potest comprimantur, ne sanguine illud nimis perfundatur.

4. Ipsa *urendi operatio* pro variis rerum conditionibus diversimode instituitur. Quodsi partem exulcerare nolumus impresso ferramento, sed calorem tantum altioris gradus adhibere, ut Ill. Ardieu in glandula tumefacta exulceratoque, quod exemplum supra (§. XI. 4.) descriptum est, illud ad distantiam trium duorumve linearum laboranti parti admovendum, itaque per tres aut quatuor secundas tenendum est. In admovendo etiam ferramento, sic ut partem urendam contingat, magna differentia obtinet. Modo enim hoc ducendum in cuti, modo leviter et per temporis solummodo momentum, modo adhibita vi firmiter imprimendum est. Si indicatio postulat, ut ferramentum ducamus, primum locus urendus carbone notetur oportet; ad hunc

finem commodissime ferro prismatico utimur, quod singulas ductiones facillime perfici sinit. Ut in ceteris vero, ita in hac operandi methodo inexercitato probe tenendum est, ferramentum protinus firmiter tenendum et imprimendum esse, ideo quod liquefactus adeps et humores inter urendum profusi cutim lubricam reddunt, quo fit ut impositum ferramentum facile delapsum proximas partes inutiliter laedat. Qua de causa illud utraque manu firmiter tenendum et intrepide ducendum est. Absoluto primo ductu alter deinceps sesquipollicem vel duos pollices a priore remotus perficiatur oportet. Inter ducendum vero pro variis rerum conditionibus vi maiori aut minori imprimendum est, ipsamque ductuum longitudinem variam esse debere, non est quod pluribus commonefaciam. Quodsi brevi contactu ferrum adhiberi convenit, ut in relaxatione musculorum aliisque affectibus, temporis tantum momento et leviter imprimendum erit. In vitio modo commemorato nonnulli cutim ad musculum usque relaxatum incidendam; deinde linamentum aqua madefactum proximae cuti imponendum suadent, ne frustra laedatur, denique ferro musculum leviter contingendum. Si diutius tangendo urendum est, ultra duas aut quatuor secundas ferramentum imprimere haud convenit. In retrahendo ferro semper cavere oportet, ne eschara avellatur, qua de causa leviter rotando retrahatur. Ceterum quod ad singularum ferra-

menti formarum usum, pertinet, supra, (§. XII.) iam commemoravi, quibus morbis quibusque rerum sub conditionibus singulae respondeant. Quodsi recondita in parte ferramento utimur vagina incluso, haec prius deinde illud demittendum, denique et ipsum leviter rotando extrahendum est. Ceterum ferrum candens non aqua refrigerari convenit, hac enim facilius oxydatur, tantum in loco ponendum est, quo nihil comburere poterit.

5. *Deligandi rationem* iam supra (§. XIII. 1.) breviter attigi. Saepissime nihil imponatur necesse est, praeter linteolum vel linamentum unguento aliquo simplici inductum ad sedandos dolores, qui tamen brevi per se cessare solent. Praeferendum est unguentum Stahlii ex cerae flavae et butyri insulsi paribus portionibus commixtis. Hoc prius aqua refrigeretur aportet. Quodsi inflammatio et suppuratio ustionem secutae parum sufficiunt, fomentationes emollientes adhibendae sunt, profusa autem suppuratio linamentum siccum et medicamina si opus est adstringentia, exsiccantia exigit, v. c. decoctum corticum nucum iuglandis, corticis quercus, hippocastani rel. Si vulnus citius solidescere videtur, unguento sabinae vel alio quovis irritante, adeoque impositis pisis impediendum est, quo minus ad cicatricem perveniat. Si brevi sanare vulnus convenit, unguentum Stahlii quotidie recens impositum sufficit. Quodsi striae cuti inustae

sunt, opus est ut caveamus, ne cutis his interposita suppuratione consumatur. Suppuratio autem ustionem secuta, quum benignissima esse soleat, raro tantum ac non nisi cachecticis in corporibus mala symptomata superveniunt, quibus propria medela occurrendum foret. Largior tamen suppuratio astringentia requirit, gangraena antiseptica etc. Si ob sanguinis profluvium ustum et eschara rupta est, ustionem utique iterare convenit [1]).

# Caput secundum.

## §. XIV.

### De moxa.

*Moxae* nomen apud Sinenses et Iapanenses cylindrum ustorium significat ex foliis contusis vel medulla Artemisiae chinensis confectum. Vetustisimum hoc urendi auxilium esse, nisi alia testimonia historica confirmarent, iam ex eo intelligere liceret, quod ab his gentibus primum in usum vocatum est, omnium facile antiquissimis, quae ad novas res inveniendas parum aptae, tantum quod a maioribus per haeredita-

1) Leg. *J. N. Rust* Arthrokakologie etc. L. c. §. 152. seq.

tem acceperunt, pertinaciter servant [1]). Ab his cum ceteris gentibus moxae usus communicatus est, variique eam adhibendi modi excogitati sunt. Sinenses artemisiae suae medullam vel folia charta involuta deurunt, Indi medulla iunci alicuius utuntur eodem modo, Persae fimum caprarum in cylindros redactum, Armeni agaricum quercinum, Thessali musci quoddam genus adhibebant, Lappones betulae lignum putridum phosphorescens praeferunt, Aegypti primum gossypium in usum vocarunt, deinceps a reliquis nationibus adhibitum. Percyus novum moxae genus invenit, facile praestantissimum. Medulla utitur *helianthi annui* [2]), panno nitrato e gossypio circumvoluta, quae natura nitro instructa, facile igni concepto deuritur. Hoc genus nuper in Graefii Ephemeridibus chirurgicis descriptum est, ad quos lectorem plura cognoscere cupientem amandare liceat [3]). Eiusmodi moxae tantum simpliciter agglutinantur cuti, tum deuruntur. Percyus etiam instrumentum ad eas firmiter tenendas descripsit et delineari curavit, quod ex annulo chalybeo constat manubrio con-

---

1) Conf. Dictionnaire des sciences médicales, voc. Moxa et Moxibustion. *Percy* horum tractatuum auctor est, reliqua de moxae scripta iam supra commemoravi.

2) „Gemeine Sonnenblume“ Syngenes. polyg. frustr. *Linn.*

3) *Graefe* und v. *Walther* Journal der Chirurgie und Augenheilkunde. Vol. III. Fasc. 3. p. 491.

venienter instructo; fistula quoque cuprea utitur tenuiori ad afflandam moxam, quod genus afflandi praestare affirmat [4]).

In universum eaedem urendi indicationes moxae usum ac ferri candentis requirunt, differentia tantum in eo posita est, quod moxa vehementiorem longioremque dolorem excitat, ideoque ad derivandum magis valet, ubicunque tales dolores ad debellandum morbum exiguntur. Brevior itaque esse possum, quum generaliora huc pertinentia iam supra (§. VII.) satis percensita sint. Percyus, cui in tota pyrotechnia multum debemus, ex viventibus chirurgis longe plurima experimenta de moxae effectibus instituit, qua de causa non dubito brevem horum conspectum adiungere, ex quo moxam adhibendi rationes facili negotio deduci poterunt. Amaurosin et amblyopiam saepe feliciter sanavit, vel certe earum progressui obicem posuit, moxa ad processum mastoideum prope nervi facialis ex foramine stylomastoideo egressum deusta [5]). Gustum eodem remedio restituit centurioni cuidam, cuius lingua tuberculis syphiliticis obtecta

---

4) Dictionn. des scienc. med. art. Moxa et Moxibustion. — Cfr. *Pouteau* Oeuvres posthumes L. c. — *Arnemann* chir. Arzneimittellehre. 6te Aufl. von *Kraus*. Gött. 1818. p. 257. (243.)

5) Cfr. *Demours*, *Lud. Frank* et *Kieser* LL. cc. — *Fr. Jahn* Klinik der chronischen Krankheiten von *H. A. Erhard*. Berlin 1815-21. Vol. IV. P. II. p. 324.

omnem gustandi facultatem amiserat, moxa ad ipsam linguam adhibita, ferro candente ad eundem locum bis frustra admoto; simul, quod per se patet, curationem antisyphiliticam instituit. Cophosi et aphonia rheumatica laboranti suppetias tulit plurimis moxis ad cervicem deustis [6]), auditus et vox brevi redierunt. In paralysi autem musculorum et nervorum meritis laudibus hoc remedium [7]) extollit, nec minus in asthmate curando [8]). Catarrhum et pleuritidem chronicam saepissime moxae ope sanavit. Phthisin adeo pulmonalem moxa aggressus est, quam saepe extra fines artis nostrae creditam profligavit [9]). Integrum circa hanc rem tractatum conscripsit, quo uti me non potuisse vehementer doleo [10]). Non dubitavit viscerum abdominalium obstructiones, hepatis maxime et lienis moxa iterum atque iterum imposita solvere, bonosque

---

6) Cf. *F. M. G. Jtard.* L. c.

7) Methodus aegyptiaca v. *Alpinus* med. Aegypt. L. c. L. III. C. 12. p. 211. — *Joseph. Frank* L. c. P. II. Vol. I. Sect. II. p. 486. — *Eiusd.* Acta Instituti Clin. Vilnens. An. 11. p. 91. — *Roux* Parallele der franz. u. engl. Chirurgie. Weimar, 1817. 8. — *Larrey* in *Weisse's* Paris und London für den Arzt, etc. Petersburg und Halle. Bd. 1. 1820. 8. — *Gondret.* L. c.

8) Cfr. *Loder* L. c. Vol. 1. p. 238. — *Richter* specielle Therapie, Vol. V. p. 56. — *Jahn* L. c. Vol. IV. Part. II. p. 341.

9) Cf. *L. F. Gondret* Considerations, etc. L. c.

10) Conferantur tamen quae *Casperus* super hac re in libro suo: Characteristik der franz. Medicin proposuit. p. 253.

huius remedii effectus laudat [11]). Clarissimus VAIDY, observationibus eius de effectu in phthisi ineunte usus, et ipse moxam adhibuit ad curandas inflammationes viarum spiritalium chronicas, optimo quidem cum successu, de qua re suas observationes publici iuris fecit [12]). In rhachitide ulcera artificialia, maxime inusta praestantissimum auxilium esse ad praecavendas et curandas varias ossium deformationes vetus observatio est [13]). PERCYUS semper moxa utitur hunc ad finem, eademque spinae curvaturas ex aliis etiam causis subortas curare consuevit, nec minus tabis dorsualis progressus feliciter retardat. Terribiles illi capitis dolores, quos cephalaeam nuncupant, a medicis [14]) heroico isto auxilio, loco affecto admoto debellari, vir summus IOSEPHUS FRANK, Professor et Medicus celeberrimus apud Vilnenses, experimentis comproba-

---

11) Cf. *Spangenberg*, über die Blutflüsse in medicinischer Hinsicht. 1805. 8. p. 374. — *Richter* spec. Ther. V. III. p. 344.

12) Observations sur les bons effets du Moxa dans le traitement des inflammations chroniques des organes de la respiration. In Journal complémentaire du Dictionnaire des sciences médicales. Tom. VI. p. 9.

13) Cf. *L. F. Gondret*. L. c.

14) *Wepferi* Observ. med. pract. Figur. 1745. 4. p. 81. — *Pouteau* Oeuvres posthumes. T. 2. — *Saissy* in séance publique de la Société de médecine à Lyon. An. 8. — *Bodson* in Journal de médecine. 1814. Juin.

vit [15]). Neuralgiae [16]), coxalgiae [17]), spasmi [18]), rheumatismi [19]), ophthalmiae chronicae [20]), gibbositas [21]) hydrops [22]) et fungus [23]) articulorum, rel [24]). porro moxae usu, miraculi instar, impugnantur.

---

15) Praxeos medicae universae praecepta. Part. II. Vol. I. Sect. I. p. 199. (93.)

16) *Heurteloup* in *Hufeland's* neueste Annal. der franz. Arznei und Wundarzneik. 3. B. p. 458. — *Gondret* L. c.

17) *Larrey* in *Weisse* L. c. — *Gondret* L. c.

18) *Larrey* L. c. — *Gondret* L. c. conferantur *auct.* in §. IV. et X. citati. — *Richter* spec. Therap. B. 7. p. 143.

19) *Richter* spec. Therap. B. 2. p. 62. — *Haase* L. c. T. II. p. 355.

20) *Larrey* L. c. — Vid. *auct.* in §. X. (n. 2.) recens.

21) *Pouteau* Oeuvres posthumes. L. c. — *Gimes* in *Richter's* chir. Bibl. B. 11. St. 3. p. 434.

22) *Monro* on dropsy. p. 167. A. d. Engl. übers. Lpz. 1777. — *Jos. Frank* Prax. med. univ. praecept. Part. I. Vol. II. p. 647.

23) *Richter* spec. Therap. B. 5. p. 747.

24) Leg. *J. P. Maunoir*, medico-chirurgical Transactions published by the medical and chirurgical Society of London. Vol. IX. Part. II. London 1818. — *G. Wedemeyer* in *Rust's* Magazin für die gesammte Heilkunde, etc. B. VI. Heft 2. — *Gondret*. L. c.

# Sectio tertia.

## *De cauteriis potentialibus.*

### §. XV.

De cauteriis potentialibus in universum.

*Cauteria potentialia*, *caustica*, *escharotica*, *corrosiva*, medicamina dicuntnr, quae ad partem organicam admota huius materiam destruunt, mixtionem chemicam sic tollendo, ut simul forma pereat. Omnis actio chemica corporum in mutua quadam vi contraria posita est. Contrarietatem nonnulli dicunt. Hac agente vi invicem contraria natura aequilibrium restituere conatur. Magnitudo autem effectus a gradu dependet, quo altera vis alteri adversatur. Alterum corpus vel in alterius formam recipitur, vel tertia quaedam communis ac plane nova forma efficitur, prout vel alterum praevalet, vel pari facultate ambo agunt. Organismus materias in se recipit sibi affines, vel quibus potentior est; superat eas atque in formam suam convertit, sic ut vita et servetur et sustentetur, quod quidem in nutritionis processu obtinere satis notum est. Quodsi maiores sunt vires sibi invicem contrariae, sic ut materia extrinsecus corpori admota magis valeat, neque tamen id superare possit, conflictus chemicus oritur, quo

actio

actio vitalis aliquam mutationem recipit. Ita pleraque medicamenta agunt. Praetervidendum tamen non est, omnem actionem in organismo non mere chemicam, sed magna ex parte simul vitalem, dynamicam esse. Sin autem vis organismo contraria in materia huic extrinsecus admota maxima fuerit, sic ut eius vim plane superet, materiae organicae forma ex toto perit, inque formam materiae admotae inorganicae recipitur, unde tertium quid formatur, prioribus dissimile. Quod quidem de medicamentis corrodentibus valet. Iam vero quum materia organica ex diversis partibus constitutivis composita sit, quumque aliqua harum partium vel demta vel consumta destruatur, facile intelligi potest, res inter se diversissimas, prout vel huic vel illi parti constitutivae magis affines sunt, cauterii potentialis vices exhibere, ideoque commune quoddam principium acre cogitari non posse, ut LEMERY [1]), MEYERUS [2]) et WINTERL [3]) opinantur. Experientia quoque docemur, medicamenta inter se maxime contraria, acida mineralia, alcalia, metalla oxydata, adeoque materias vegetabiles cauteriorum effectus praestare.

---

1) Mem. de Paris. 1709. P. 520. seq. — *Crell's* neues Archiv. Vol. I. p. 34. seq.

2) Chem. Versuch. zur nähern Kenntnifs des ungelöschten Kalks. Hannov. 1764. 8.

3) *J. M. Oesterreichers* Annal. aqv. Bud. Veterob. 1781. 8.

Materiae organicae pars, quae cauterio potentiali, plane destructa facultatem suam vitalem ex toto amisit, perinde ut in cauterio actuali eschara sive crusta dicitur. Productum neutrale est, quod chemici dicunt materiae organicae et cauterii, perinde enim illius vita ac huius vis caustica periit. Ceterum eschara post usum cauteriorum potentialium vel humida vel sicca est ex causis supra (§. III.) allatis. *Tempore* procedente similiter deiicitur.

Ceterum escharam vivis tantum in partibus fieri, mortuas a cauteriis potentialibus tantum dissolvi, nota res est. Iam HELMONTIUS [4]) „*escharam exsurgere ex Archei accensione; commune productum esse causticorum et Archei*“ proposuit. Mortuum etiam corpus multo tardius a cauteriis dissolvitur, quam vivum, utpote mortuae chemiae legibus parens. Quod CHARMETTONIUS [5]) quidem et MACQUERUS [6]) ex humoris calorisque defectu explicare conantur, hoc vero evidenter falsum est, et experimentis in corporibus mortuis institutis, humore aliquo animali perfusis eodemque gradu ac viva cale-

---

4) *Helmont* Ortus medic. p. 420. (Opp. omnia, 4. Amstelod. 1652.)

5) Mém. sur les Remèdes dessicatifs et caustiques; in Prix de l'Académie de Chirurgie. T. I.

6) Chymisches Wörterbuch etc. Aus dem Franz. übers. von *J. G. Leonhardi*. Lpz. 1781. Tom. I. voc. Aetzbarkeit.

factis, plane refutatum est. In vita igitur illius phaenomeni causa utique quaerenda est. Morbosam materiam organicam cauteria potentialia facilius ac citius destruunt, quam sanam, sic ut condylomata, polypos, verrucas, carnem luxuriantem rel. radicitus evertere illorum ope liceat, neque tamen circumpositae sanae partes destruantur. Facultas enim vitalis, quae chemicae destructioni renititur in eiusmodi vitiis minor, multo facilius superari potest, quam in sanis parribus, fabricam et indolem suam insita vi fortius defendentibus. Cauteriorum potentialium vis duplici ratione vel imminuitur vel plane tollitur, primum coniunctione chemica, qua alterum causticum alteri contrarium, si huic adiectum est, neutrale quoddam productum efficit, quod in acidis et alcalibus inter se commixtis perspicuum est. Deinde mutata ratione quantitativa inter corpus et causticum adhibitum. Si cauterii eadem portio, qua ad maiorem effectum uti solemus, diluta adhibetur ad maiorem superficiem, ideoque plures partes organicas contingit, vel si dosis tantum illius imminuitur, vita facilius semetipsam tuetur, totusque cauterii effectus solummodo in mutatione incitationis consistit.

Praeterea mixtione chemica cauteria admodum inter se differunt, ideoque varius eorum in organismum effectus esse debet. Quae quidem differentia morborum, qui cauteria requirunt diversitati accommodatissima est. Alia

atque alia cauteria ulcera scrofulosa, scorbutica, arthritica, syphilitica, carcinomatosa rel. alia item verrucae, polypi, condylomata, tumores cystici, scirrhi, fungi etc. exigunt [7]). Potissima cauteriorum potentialium divisio ex propositis facile resultat. Nonnulla enim, ad quae maxime kali plurimaque vegetabilia pertinent, materiam organicam diluunt, rarefaciunt, emolliunt, dolo-resque minores efficiunt. Praecipue adhibenda sunt, ubi proclivitas ad coagulationem obtinet. Alia, quibus acida simplicia ac plurima metallo-rum oxyda adnumerantur, materiam organicam exsiccant, rigidam reddunt, utilia igitur haben-tur, ubi morbosa ad dissolutionem propensio minuenda est [8]).

## §. XVI.

### De cauteriis alcalinis.

Quid per *alcalia* intelligendum sit, ex ehemia satis omnino patet. Ut ratione chemica ita etiam dynamica alcalia acidis plane contraria sunt. In corpus agunt materiam organicam decomponendo, oxygenium subtrahendo, magna tamen in effectu eorum differentia observatur, prout cum oxygenio et acido carbonico vel magis vel minus con-

---

7) Cf. *Burdach* Progr. etc. L. c.

8) Cf. Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste von *J. S. Ersch* und *J. G. Gruber*. Tom. II. Leipz. 1819. p. 131. voc. Aetzmittel, auct. *Burdach*.

iuncta sunt. Ad cutim adhibita erodunt quidem et destruunt alcalia caustica, non tamen ita ut acida, argentum nitricum et ferrum candens fibram organicam irritando. Videntur potius Rich. Carmichaele [1]) et Rustio [2]) auctoribus ratione chemica materiam organicam aggrediendo facultatem vitalem debilitare, fibrarum muscularium actiones deminuere. Largiori copia adhibita materiam organicam plane destruunt, i. e. in partes suas primitivas dissolvunt, putrefaciunt, gangraenem gignunt, nec ullo modo actionem vitalem augent vel inflammationem provocant. Vis eorum destructiva quod iam supra adnotavi, latius super adiacentes partes propagatur, sic ut gangraena suborta saepe ulterius serpat, quam res exigit, vel medici consilium fuit. Eschara vero semper humida est, sphacelam tantum destructae cutis refert. Inflammatio secundaria, quae raro ultra uliquot lineas marginem egreditur, passiva plane ac iners, nunquam in suppurationem benignam, semper in ichorosam profusam abit, malam granulationem referentem, quae putrefactam carnem tardissime deiicit. Ex his vero facile elucescit, hoc genus cauteria

---

1) An Essay on the effects of carbonate and other praeparations of iron upon cancer. etc. Second edition. Dubl. London et Eindb. 1809. 8.

2) Von den Wirkungen des Kali caustici und des Lapidis infernalis als Aetzmittel in Magaz. für die gesammte Heilkunde. B. 1. Hft. 2. p. 812.

nunquam in usum vocanda esse, ubicunque laxitas cutis et inertia vel inflammatio asthenica vel ad putredinem proclivitas ac proximus in gangraenam transitus subest. Maxime vero in scorbuto ac variis cachexiae generibus manum ab iis abstinendam esse patet. Securitatem non pollicentur, ubicunque cauterii effectus certis finibus circumscribendus est, minime prope nobiliora organa, eorum enim actionem vix bene caërceri posse, supra (§. III.) proposui. Medicamina vero acria praestant ad purgandam cutim in impetiginibus, v. c. scabie [3]) herpete, et aliis peridonea, nec minus utilia sunt in curandis ulceribus syphiliticis phagadaenicis [4]), vulneribus venenatis, maxime rabidarum bestiarum morsibus, item in affectibus arthriticis ac rheumaticis, morbis spasmodicis convulsivis, paralysi, rel. Infectionem quoque syphiliticam praecavere posse creduntnr [5]).

## §. XVII.

### De Kali caustico.

Synonyma permulta ab auctoribus referuntur. Gravissima sunt: *Kali causticum fusum*, *Lapis*

---

3) *Ackermann's* Abhandl. von der Krätze; in Bemerk. über die Kenntnifs und Kur einiger Krankheiten. Fasc. V. §. 5.

4) *Vogel* Samml. med. chir. Fälle. Tom. III.

5) *G. W. Schwartze* Pharmacologische Tabellen oder systematische Arzneimittellehre. Lpz. 1822. fol. Tom. II. p. 249. seq.

*causticus chirurgorum*, *Causticum alcalinum*, *Kali vegetabile causticum sive purum*. Quae de cauteriorum alcalinorum effectibus generalibus proposui speciatim de kali caustico valent. Ad erodendum ex alcalinis longe frequentissime adhibetur, primum ad aperiendas abscessus [1]). Haec vero methodus et longa et dolorifica omninoque inutilis et supervacua est [2]). Sunt quidem, qui contendant ad aperiendos abscessus partium glandulosarum lapidem causticum chirurgorum praestare, horum vero durities inflammatoria eo valde augetur, nec ulla causa est, cur cataplasmata emollienta minus adhibeamus. Tum ad curandam hydrorcelen, nempe ut destruatur tunica vaginalis communis aquam continens, suborta inflammatione et suppuratione [3]). Deinde in abscessibus et inflammationibus, quae tardius in pus vertuntur, ubi hoc

---

1) *Sue* üb. d. Nutzen des Schnitts und Aetzmittels z. Heil. d Fingergeschw. in Mem. d. l. Soc. d'Emul. an. II. p. 284. — *Pitiat* Journ. d. med. 1788. — *Emmanuel* ibid. 1790. — *Hufeland's* Annalen d. fr. Arzn. I. 124. — *Sabatier* Mem. d. Chir. T. V. p. 344. — *Ficker* Preisffr. über das freiwillige Hinken der Kinder. Wien 1807. p. 74.

2) *J. N. Rust* in Magaz. etc. Tom. I. Fasc. II. N. III.

3) *Leonidas* apud *Aetium* Tetrab. IV. serm. 2. c. XXII. — *Cuy de Chauliac* Chir. magn. Tr. II. Doct. II. cap. VII. p. 115. — *Else* on the Cure of the hydroc. Lond. 1774. A. d. Engl. übers. Gött. 1775. — *Dussaussoy* cure radic. de l'hydroc. par le caustique. Lyon. 1787. Uebers. Leipzig. 1790. — *Ehrlich's* chir. Beob p. 177 et 179.

non modo evacuandum, sed suppuratio etiam promovenda est, v. c. in furunculis. Denique ad aperiendos bubones suppuratos [4]). Sed tamen si hoc utique aperiri velis, ferrum praestat, nam kali causticum facile ulcus pertinacissimum gignit, quod ad indurationes valde pronum est, ac facile fistulas inducit. Vulnera venenata cauteriis potentialibus omnino melius curari, quoniam simul chemice venenum destruendo agerent, nec eschara fieret, vasa conglutinans, iam supra (§. VI.) indicavi. Optime hunc ad finem kali causticum usurpatur [5]). Nonnulli morsum canis rabidi tantum solutione huius eluendum suadent, non vero erodendum. Sed erodere omnino praestat, ex principiis super hac re satis firmiter stalulitis. Fontana kali causticum contra viperarum morsus optime valere, experimentis suis confirmavit [6]). Nonnulli etiam ad praecavendam infectionem syphiliticam ulcera syphilitica hoc medicamine erodere solent [7]). Haec tota methodus

---

4) *Clare* Essay on the cure of Abscesses by Caustics.

5) *Mederer* Syntagma de rabie canina. Friburg. 1783. Methodus facill. et certiss. homines et animalia, a bestiis rabiosis admorsa, conservandi. Ibid. 1785. — *Simmons* in *J. Ferriar's* Neue Bemerk. über die Hundswuth etc. übers. von *Michaelis*. Leipzig 1801. Tom. III. Supl. — *Stütz* in *Hufeland's* Journ. der prakt. Heilk. Tom. X. Fasc. IV. Nro. I.

6) Abhandlung über das Viperngift etc. A. d. Franz. Berlin 1787. 4.

7) *Girtanner* Abhandl. über die venerischen Krankheiten. Tom. I. p. 107. seq. — *Fordyce* Diss. de Catarrho. Edinb. 1758.

rero reiicienda est, ac praeterea magnam cautionem adhibere oportet, ne ulcera nimis erodantur. Ad purificanda ac detergenda ulcera et fistulas kalí caustici solutiones optimum auxilum praebent. Denique ad fonticulos ponendos kali caustico aptime utimur [8]). Neque minus ad lipomata destruenda [9]). Ad fungos sinus maxillaris avertendos non semel adhibitus est scilicet linteolo comprehensus, et sic parte superiori libera per foramen in sinum demissus [10]). Whately kali caustici usum ad urethrae stricturas debellandas commendat [11]). Postremo polypi narium, qui iam forcipe et ligatura comprehendi non possunt, frustulo kali caustici ad radicem dato optime minuuntur, sic ut ligatura commode adhiberi possit [12]). Generatim vero ferri candentis usus praestantior esse solet.

---

in *Smellie* Thes. Vol. II. p. 501. — *Warren* Nouv. meth. pour guerir la gonorrhée virulente et pour s'en garantir. Amst. 1771. — *Mederer* Diss. sistens criticen prophylaxeos Syphilitidis. Friburg. 1777.

8) *Crowther* Med. Facts. Vol. IV. — *J. Arnemann's* chir. Arzneimittellehre. Edit. 6. Götting. 1818. 8. p. 263.

9) *Paul Aegineta* Lib. IV. Cap. XXXIV. — *Autylus. Avicena. Bell.*

10) *B. G. Schreger's* Grundrifs der chirurgischen Operationen. Edit. 2. Nürnberg 1819. 8. p. 308 et 496.

11) An improved Method of treating Strictures in the Urethra. Lond. 1804. — Neues Journ. der ausländ. Lit. T. III. Fasc. II. p. 93. seq. — *Petit* in Rec. period. XLII. Nov. Dec.

12) *Galen.* d. Comp. med. Lib. III. — *Richter* Anfangsgründe der Wundarzn. Tom. I. §. 606.

## §. XVIII.

### De Natro caustico.

*Natrum purum*, s. *Sal alcali minerale caustic*um, *Lapis causticus mineralis* effectu in corpus cum kali plane convenire videtur. Communem erodendi ac destruendi fecultatem ambo prae se ferunt, quam supra exposui. Huic sententiae adstipulatur Cel. Orfila [1]), qui et medicamina contra natri abusum adhibenda eadem esse debere censet, ac quae in symptomatibus a kali excitatis salubria sint. Aliqua tamen qualitativa differentia inter kali et natrum intercedere videntur; certe hoc multo mitius agit illo, sic ut ad usum internum utique praeferendum sit, quum kali ad erodendum praestet, caustici igitur partes omnino melius expleat. Ceterum eadem cautione adhibendum est natrum, quamvis enim multo mitius quam kali sit, per se tamen satis vehementer organismum aggreditur.

## §. XIX.

### De Ammonio.

Synonyma: *Ammonia* s. *Ammoniacum*. *Sal volatite ammoniacum*, *Sal alcali volatile*, *Ammonium causticum*. Extrinsecus adhibitum ammonium ut irritamentum volatile agit, non

---

1) Toxicologie übers. von *Hermbstaedt*. T. III. §. 642.

modo in systema capillare, sed in nervos etiam, omnemque fibram organicam. Concentratum inflammationem excitat, erythema, bullas, adeoque gangraenam, ideoque cauterii potentialis vices optime exhibet. Novum quoddam cauterii genus ex ammonio Clarissimus Vaidy nuper descripsit. In cucurbitulam olei amygdalarum drachmae duae et quatuor ammonii caustici immittuntur, cum ellychniis duobus incensis, quorum flammulae ex oleo nutrimentum facile attrahunt. Membrum deinde cauterio exulcerandum super ostio cucurbitulae tenetur, usque dum adhaeserit. Tum sic vertitur, ut liquore tangatur cucurbitula contento. Post horas duas, vel unam etiam crusta formatur, quae tempore suo decidit, similiter ut in moxae usu. Ellychnii loco charta etiam in cucurbitula accendi potest. — Simplicior nec minus efficax methodus haec est: Fenestra rotunda inciditur duorum ferme pollicum diametro utrinque cerato delibuto; hoc in parte laborante posito, cutis haud contacta oleo ungitur. Linteolum deinde quater vel octies complicatum, ac liquore ammonii caustici tinctum unctae cuti imponitur, ipsum vero protinus linteolo cerato inducto contegitur. Post horam vel bihorium cutis rubescit, vel vesica formatur serum continens, vel cutis eroditur, prout ammonium vel parcius vel abundantius adhibitum, vel linteum impositum tenuius crassiusve fuit. Quodsi vehementius cutim aggredi volueris, ex

oleo inunctio omitti poterit [1]). Lana quoque liquore ammonii caustici madefacta vehementissime erodit, ideoque optime adhibetur in vulneribus venenatis [2]), trismo [3]) tuberculis lacteis [4]) tumore albo [5]), scirrho [6]) etc. Verrucae [7]), calli, ulcera callosa [8]) commode eroduntur mixtura ex decocti chinae ex unciis tribus parati unciis duodecim, cui sesqui uncia ammonii caustici adiecta sit. Semper ammonii usus cautionem exigit.

---

1) Jourual complémentaire du Dictionnaire des sciences medicales. Tom. VII. Août. 1820. p. 159. — Allgem. medicinische Annalen. 1821. Fasc. 4. April. p. 560.

2) Samml. für pr. Aerzte. Vol. VI. p. 537. 538. seq. 542. 546. — *Bajon* in *Roux* Journ. de Méd. Tom. XXXIII. p. 146. Samml. für pr. Arzte. V. I. Fasc. III. p. 115. — *Hanade* ibid. V. VI. p. 540. — *Moodie* Med. and phys. Journ. 1804. April. — *Gazette* salut. de Bouillon 1787. — *Hufeland's* Annal. V. I. p. 405. — *D'Ojeda* in Samml. für pr. Aerzte. V. VI. p. 545. seq. — *Peyrilhe* Vers. üb. d. Heilkraft d. flüchtig. Alkali. Aus d. Franz. Bresl. 1787. 8.

3) *J. G. Bernstein* Edit. 5. L. c. p. 306.

4) *Hanade* L. c. p. 524.

5) *Fourcroy* hist. de la Soc. méd. 1782. p. 273.

6) *Martinet* Expériences nouvelles sur les proprietés de l'Alkali volatil fluor. à Paris 1770.

7) *J. G. Bernstein* L. c. Tom. 4. p. 457.

8) *J. G. Bernstein* L. c. Tom. 1. p. 376.

## §. XX.

### De Calce.

*Calx caustica*, *C. usta*, *C. viva*, *C. pura*, *Terra calcarea usta* s. *pura*, *Calcareum* s. *Calcium oxydatum* erodentibus utique adnumeranda est, fibram enim organicam et ipsa destruit, maxime molliorem. Cadavera itaque facile destruere licet iniecta calce. Calce usta quam purissima ad destruendos naevos, tumores cysticos, ad erodenda ulcera putrida maligna et in ischiade nervosa [1]) utimur, nec minus ad destrueedos pilos praeter naturam excrescentes. Hunc ad finem unguentum paratur ex sapone viridi et calce usta paribus portionibus commixtis, quod Linimentum causticum Vogelii dicunt. Emplastri fenestrati ope ad naevum applicatur, quem subsecuta suppuratio ex toto destruere solet. Eschara plerumpue post horas duodecim formatur. Maioris ambitus naevi linimentum hoc pluries adhibendum exigunt, usque dum nulla eorum venula supersit, ex qua denuo oriri possint. Medicamentum hoc a Muysio primum inventum Zach. Vogelius optimo cum successu adhibuit [2]). Stollius hoc cauterium maxime iis naevis cacommodatum esse censet,

---

1) *De Haen*, *Tissot* avis au peuple §. 183.

2) *J. B. Verduck's* chirurg. Schriften. Tom. I. Leipz. 1712. 4. p. 234. — *J. G. Bernstein's* prakt. Handb. f. Wundärzte. Ed. 5. Tom. III. p. 308.

qui veras cutis excrescentias referant, easdemque rubentes nec integumento firmiori contectas, continenter crescentes, sanguinem facile fundentes et dolorificas. Ad destrunendos pilos auripigimento et melle calx optime miscetur. Praestantissima eius praescribendi formula haec est: Rec. Auripigmenti unciam dimidiam, Calcis vivae uncias sex, Amyli uncias quinque, Aquae destillatae q. v. ut fiat pasta. D. Pilosa cutis forfice primum a pilis liberata, pasta hac crassitudine nummi minoris contegitur, deinde post quinque vel decem minutas abluitur, Pili tum sponte excidunt. Iterum vero atque iterum hoc medicamentum adhibendum est, pilorum enim radices non destruit. [3]).

## §. XXI.

### De cauteriis acidis.

Multum de *acidorum* in organismum effectibus disputatum est, neque omnino inter medicos convenire video qualem in materiam organicam vim praestent. Accedit etiam ad hoc magna acidorum singulorum diversitas, quae idem de omnibus statuere haudquaquam sinit. Acida mineralia certe a vegetabilibus toto quod dicunt coele differunt. Utcunque autem sit non modo theoria sed tota etiam experientia luculenter evincit, omnium medicamentorum maxime che-

---

3) *Arnemann* L. c. p. 264.

mice in organismum agere acida ea certe, de quibus hic solis disserendum est, mineralia nempe concentrata. Haec oxygenium larga copia continent, orgamismo adeo affine, ut statim cum materia organica coniunctionem ineat, eoque hanc destruat. Igitur eorum vis erodendi oxydatione nititur, indeque combustioni simillimus processus est. Ceterum alcalinis cauteriis acida plane contraria esse effectu in corpus ex superioribus patet. Praeferenda sunt, ubicunque sic erodendum est, ut non modo destruatur, sed materia etiam organica contrahatur adstringaturque, vel certe ad contractionem salutarem promtior reddatur. Ubicunque igitur laxitas praevalet, quae impedimento est, quo minus cicatrix inducatur, eorum usus praestat. Alcalina destruerent quidem, sed non simul adstringerent, ac roborarent, quod cauteriis acidis certa quadam ratione proprium est *).

## §. XXII.

### De acidis, quae cauteriorum loco adhibentur.

*Acidum sulphuricum concentratum* ita agit in organismum, ut modo de acidis generatim propositum est. Vulgo ad verrucas 1) et alias

---

*) *Fr. G. Voigtel* Vollständiges System der Arzneimittellehre. Tom. IV. Leipz. 1817. p. 78.

1) *Riverius* Observ. communior. p. 674.

eiusmodi excrescentias destruendas adhibetur, quem usum optime praestare consuevit. Antiquiores chirurgi oleo vitrioli fumante Nordhusano utebantur, quod etiam recentiorum nonnulli acido sulphurico concentrato ex sulphure parato praeferendum esse censent. Ulcera superficiaria et erosiones, quibus magna laxitas subest, optime hoc remedio curantur, v. c. interna labiorum facies erosa et ulcerosa, qua molestia buccinatores haud raro laborant. Malignitatem ulceris certe sic praecavere licet, ipsumque brevi tempore ad sanitatem perducere. Ad curandum entropium a nonnullis medicis adhibetur, maxime ab Hellingio [2]), qui penicillo acido sulphurico madefacto externam palpebrae superficiem tingere consuevit. Rustius ad curanda ulcera fungosa hoc medicamentum optimum esse censet: Rec. Acid. sulphuric. concentrat. dr. un. Croci oriental. gr. quatuor M. f. pasta, quae penicillo excipiatur.

Eundem ad finem *acidum nitricum*, olim ad destruendas excrescentias verrucas et alia huius generis vitia usitatissimum, verrucas autem optime destruit [3]), maculas in cuti flavas relinquans,

---

2) Journ. d. pract. Heilk. von *Hufeland* u. *Harless*. Tom. I. 1815. — Medic. chir. Zeit. d. 21. Nov. 1816.

3) *Plenk* Lehre von den Hautkrankheiten, a. d. L. übers. und mit einigen Zuzätz. verm. von *Wasserberg*. Ed. 2. Wien 1789. p. 137.

quens, nunc rarius adhibetur, quoniam aliis cauteriis, etiamque melioribus abundamus. Ad secernendas ossium corruptorum testas commodissimum est. Aliquam etiam hic mentionem mereri videtur balneorum usus, quibus acidum nitricum tanta copia adiectum est, ut cutim irritet. Hoc remedium sane inter efficacissima derivatoria numerari debet, adeoque in hepatis inflammatione chronica, in asthmate et in typho auxilium exoptatissimum tulit [4]). Facile etiam intelligitur in impetiginibus herpeticis pertinacioribus, maxime autem in scabie syphilitica haec balnea saluberrima fore, acidum enim nitricum similiter ut reliqua acida mineralia in morbum syphiliticam bonas effectus habere, sub conditionibus quidem, quas hic enumerare nimis longum foret, uno veluti ore a medicis affirmatur. Pediluvia, quibus acidum nitricum adiectum est, sic ut ad libram aquae huius sesquidrachma reputetur, utilissima sunt non modo ad derivandum, verum etiam ad morbos supressos, v. c. arthritidem repercussam resuscitandos [5]).

*Acidum phosphoricum*, quod recentiori tempore ideo a multis praedicatum est, quoniam partibus constitutivis corporis animalis magis

---

4) *Scott* in medico-chirurgical Transactions. Vol. VIII. Part. I. 1817. — Götting. gel. Anzeigen. Fasc. 50. 1820. — *Hufeland's* Bibl. T. XIII. p. 39.

5) *Ritter* in *Hufeland's* Journal. T. X. Fasc. III. p. 197.

quam cetera huius classis medicamina responderet, ob id ipsum etiam usui interno maxime accommodatum est, extrinsecus etiam adhibitum est summo quidem cum fructu. Lentinus [6]) eo in omni genere cariei utebatur, maxime ad curandos dentes cariosos cum myrrha coniuncto. Acidi phosphorici concentrati uncia una cum aquae rosarum unciis octo commiscetur, eoque liquore os cariosum et si quae fistulae adsunt, vel linamento excepto vel etiam iniiciendo tractantur [7]).

*Acidum muriaticum* in curandis ulceribus putridis callossis similibusque fistulis sulphurico aequiparari solet, neque iniuria, simul enim instar antiseptiei agit, ideoque, si quid putrefactum corruptumque est, hoc melius destruit [8]). Hoc inde fieri videtur, quod oxygenium liberius cum eo coniunctum, facile ad materiam organicam transit. Hoc remedium etiam in carcinomate aquatico labiorum [9]), in tumoribus

---

6) De acido phosphori cariei ossium domitore etc. v. *Eiusd.* Beiträge zur ausüb. Arzneiw. Leipzig 1797. Tom. II. p. 139. seq.

7) *Loder*, Journal für die Chirurgie. Tom. I. Fasc. IV. p. 555. — *Hufeland*, Journal der practisch. Heilk. Tom. I. p. 166. — *Bernstein's* pract. Handb. Edit. 5. 1818. Tom. I. p. 429.

8) *Grant* Beob. über die Fieber. T. I. p. 339. — *Fordyce* A letter to *Sinclair* concern. the virtues of the muriat. acid in the cure of putrid diseases. London 1790.

9) *Stellwagen* in Samml. f. pr. Aerzte. T. IX. p. 413.

arthriticis [10]), in chemosi [11]), et in tinea capitis [12]) auxilium exoptatissimum tulit.

## §. XXIII.

### De Lapide infernali.

*Lapidis infernalis* sive *Argenti nitrici fusi* usus adeo receptus est, ut in quovis insrumentario chirurgico prostet, quod mirum videri non potest, omnium enim cauteriorum commodissimum habetur, quod longe minimam inflammationem excitare consuevit, suumque effectum latius quam par est, propagare non solet. Ad exedendam carnem luxuriantem in vulneribus et prope fistularum margines nihil melius est [1]); dolores quidem movet, sed non tantos, quantos reliqua cauteria, et temporis momento agit, praetereaque eius bacilli paullulum accommodati ad quemcunque sinum demitti possunt. Rustius ad deminuendam et constringendam eiusmodi carnem hac eius solutione utitur: Rec. Argent. nitric. fus. drachm. un. solv. in Infus. chamomill. libr. un. Adde Tinctur. Opii simpl.

---

10) *Scherer's* allgem. Jour. der Chemie. T. VII. 1801. p. 594.

11) Van *Vy* Vorhandel. van het Gonootsh te Rotterdam. Deel V. 221. — Samml. f. pr. Aerzt. T. IX. p. 440.

12) *Plenk* L. c. — *Brückmann* in *Hufeland's*, *Schreger's* u. *Harless* Journ. d. ausl. medic. Litt. 1803. T. I. p. 40. — *Thilenius* medic. chir. Bem. p. 494.

1) *Richter's* Anfangsgründe der Chirurgie. Götting. 1800. Tom. II. p. 300. cap. 11.

drachm. tres M. D. S. Ad deligandum. Lapis infernalis si per se adhibetur, semper antea vel aqua vel saliva madefaciendus est. Prolapsam iridem lapide infernali tangere malunt, quam alio cauterio, adeoque eum butyro antimonii praeferunt, quod in iridis prolapsu multum laudari constat [2]). Verrucae, excrescentiae carnosae, polypi minores in meatu auditorio etc. lapide infernali melius quam ullo alio medicamento destruuntur [3]), ob virtutes eius modo laudatas, nec minus ulcera impura eo contacta, ad meliorem suppurationem coguntur. In abscessibus et tumoribus cystiicis minus praestat, quoniam haec tota methodus, cauterii potentialis ope aperiendi haud multum valet. Magna vero eius utilitas est in excitandis fonticulis, ubi dolore quoque vehementi ad derivandum utimur [4]). In pulverem redactus et emplastro fenestrato, vel integro annulo ex emplastro cerussae circumdatus cuti imponitur. In inflammationibus oculi periculosis, quae cito decurrentes, (v. c. keratitide acuta) caecitatem minantur, eius pulvis altitudine lineae capiti sic impositus oculos saepe servat, si alia remedia

---

2) *Janin* Memoires et Observations anat. physiol. et phys. sur l'oeil. Paris 1732. p. 389. A. d. Fr. von *Selle*. Ed. 2. Berl. 1788.

3) *Arnemann* L. c. p. 268. — *Richter* L. c.

4) *Ford* Krh. d. Hüftg. a. d. Engl. 1795. (In Coxalgia.) — *Rust* in Magaz. I. 2. p. 312.

frustra adhibita sunt. Hic vero ad cranium usque carnem erodere debet, quo per octo vel per duodecim horas tantos dolores movet, ut inflammationem etsi vehementissimam obscuret. In ectropio saepe salutaris fuit lapidis infernalis usus [5]), nec minus attentionem meretur Schmidtii consilium, qui cauteria inter processum mastoideum et mandibulam poni iubet in quibusque oculi morbis, qui derivando omnino curari possunt, maxime in paralyticis, v. c. entropio superioris palpebrae ex laxitate vel ex paralysi levatoris palpebrae superioris, nec minus in blepharoptosi, in blepharospasmo, amblyopia etc. vesicatorio, ferro candente, lapide caustico et aliis usus est, sed tamen etiam lapis infernalis summa cum utilitate adhiberi poterit [6]). Nonnulli quoque ulcera syphilitica primaria lapide infernali iterum iterumque tangenda suaserunt; haec vero methodus prorsus reprehendenda et eiicienda est. Omne enim eiusmodi irritamentum absorptionem provocat, ideoque fieri potest, ut aeger tali modo curatus in luem universalem pessimam coniiciatur. Ad curandas gonorrhoeas inveteratas tenuis lapidis infernalis solutio, in qua unum vel duo grana ad uncias quinqae aquae destillatae reputantur summo cum fructu in urethram iniicitur, adeoque nonnulli eo utuntur ad destruen-

---

5) *Guy* de *Chaul.* Tr. VI. Docr. II. Cap. II. P. II. 6.

6) In Abhandll. der *Joseph.* Academie. L. c.

das excrescentias carnosas in urethra, cereolo eius frustulum affigentes, melius autem est, Hunteri instrumento id excipere, quoniam hoc multo tutius retinetur.

## §. XXIV,

### De cauteriis antimonialibus.

Inter haec *Tartarus stibiatus* sive *Tartaris potassae stibiata*, medicamentum nostris temporibus maxime celebratum primum locum tenet. Nemo sane tartari emetici recordatur, quin *unguenti* Autenrriethiani meminerit, quod in curanda tussi convulsiva primum innotuisse constat. Paratur ex drachma una ad duas et dimidiam et axungiae porcinae uncia una. Cuti infrictum post aliquot horas papulas excitat dolorificentissimas, brevi post in pustulas transituras, quae serum albidum continent [1]). Hoc unguentum inter efficacissima derivatoria pertinere, medici unanimiter confitentur; ob ingentes dolores, quos excitare consuevit, a nonnullis martyrium dictum est. Ipsi vero hi dolores et magis etiam seri in pustulis collectio exoptotissimi sunt in derivandis morbis pertinacioribus, aliis

---

1) *J. H. F. Autenrieth*, Versuche für die practische Heilkunde. Tom. I. Fasc. 1. Tübing. 1807. — *Horn's* Archiv für medic. Erfahr. Tom. IV. Fasc. 2. — Hallesche allgemeine Litteraturzeitung. 1808. No. 105.

medicamentis nullo modo cedentibus. Igitur in insaniae variis generibus, mania, melancholia, fatuitate etc. summa cum utilitate excitati sunt et etiamnum excitantur, cuiusmodi abservationes medicorum scripta ingenti copia referunt [2]). Praeterea etiam ad callositates solvendas in vulneribus, ulceribus fistulis, tartari emetici solutiones optimo cum effectu adhibentur. Verrucas nonnulli tartari stibiati pasta, aquae ope confecta destruunt, praestat vero lapidis infernalis usus. Idem de condylomatibus valet. Rustius naevos unguento Autenriethiano infricandos, deinde pustulas apertas unguento digestivo deligandas suadet, quo illi optime destruantur.

*Liquor stibii muriatici* sive *Butyrum antimonii* ad exedendum et erodendum minus praestat. Ad destruendas quidem verrucas satis commodum est, ad polypos vero et ulcera adhibitum nimis late exedit, sic ut effectum eius haud satis coërcere possimus. Ad constringendam prolapsam iridem recte adhibitur, penicillo tenuissimo exceptum, post eius usum vero statim vel tepido lacte vel aqua statim eluendus est. [3]). Ianinus etiam maculas corneae, adeoque staphylomata butyro antimonii feliciter curavit, sem-

---

2) *Edw. Jenner* on the influence etc. L. c.

3) *Janin* L. c. p. 394.

per tamen caute id adhiberi oportet, nam cauteriis efficacissimis adnumerandum est [4]).

## §. XXV.

### De cauteriis mercurialibus.

*Hydrargyrum muriaticum corrosivum* sive *Mercurius sublimatus corrosivus*, medicis et chirurgis usitatissimus, inter cauteria efficacissima et vehementissima superiorem locum tenet. Ungnentum eius, vel potius pastam ex aqua destillata et gummi arabico hac formula paratam: Rec. Hydrargyri muriatici corrosivi q. v. Aquae destillatae, Pulveris gummi mimosae q. s. ut fiat ungnentum. D. Vir illustrissimus Graefius ad destruendos herpetes maxime refractarios, exedenda ulcera callosa etc. summa cum utilitate exhibet. In exesa parte plerumque granulationes optimae propallulant, adeoque hoc medicamentum ad ulcera carcinomatosa optime adhibere potest. Zangius in cuti sic destruenda primum vesicatorium ponit [1]), hoc vero inutile est, nam hydrargyrum muriaticum corrosivum per se iam satis erodit. Praeterea etiam forma fluida commodissime adhibetur, simplici nempe solutione, in qua conficienda granum eius ad

---

4) *Janin* l. c. p, 401. — *Beers* Lehre von den Augenkrankheiten. Wien 1813. Tom. II. p. 68.

1) *C. B. Zang*, Darstellung blutiger heilkünstlerischer Operationen etc. T. I. Edit. 3. Wien 1823. p. 401.

unciam unam aquae destillatae reputatur. Haec ratio etiam in *Liquore hydrargyri muriatici corrosivi* Ph. Bor. sive *Aqua phagedaenica* servata est. Haec et similes solutiones in curandis ulceribus fungosis inveteratis, syphiliticis, condylomatibus item syphiliticis, tinea capitis, impetiginibus etc. magis minusve concentratae iure efficacissimae habentur. Variae quoque oculorum inflammationes et blennorrhoeae his optime curantur. Freybergii solutio recte inter convenientissimas recensetur: Rec. Hydrargyri muriatici corrosivi drachm. unam, Camphorae drachm. dimid. Alcohol. vini unc. semis. M. D., videlicet, si vehementius corrodendum est. Pulverem hydrargyri sublimati in nlcera inspergere minus convenit, pasta vel unguentum praestat.

*Liquor Bellostii* sive *Liquor nitratis hydrargyri*: Rec. Hydrargyri puri unciam unam. Digerendo leni calore solve in Acidi nitrici puri qu. suff. Soluto adde Aquae destillatae quantum requiritur, ut liquoris sit unciae quinque, cuius gutta Aquae purae instillata sedimentum ne edat. Hic liquor, quem hic omittere non possumus, utilissimus habetur in curanda carie, penicilli ope ad os affectum adhibitus, etiamque in abscessibus lymphaticis, quibus turundarum ope immissus, lympham ad coeundem cogit. Nassius eum siphunculi ope iniiciendum suadet [2]), hoc

---

2) *Horn's* Archiv f. med. Erfahrung.

autem modo adhibitus nimis vehementer agit. Utiliter tamen Cel. Kluge iniectionibus ex eo siphunculi vitrei ope in ulceribus callosis usus est. Ad destruendas verrucas, polypos etc. eadem de eo, quae de similibus cauteriis potentialibus valent.

*Hydrargyri oxydati rubri* sive *Mercurii praecipitati rubri* usus est. Frequentissime adhibetur, maxime una cum cantharidibus ad servandam suppurationem in vulneribus venenatis, praecipue ex morsu rabidi canis, praetereaque unguentum, ex eo solo paratum ulcera impura optime deterget atque purificat, adeoque callositates factas exedit. Etiam pulvis eius ulceribus inspersus suppurationem in melius convertit. Usus eius in ophthalmiatrice ad curandas varias ophthalmias [3]) maxime blennorrhoicas [4]) item usus eius ad curandam tineam capitis aliasque impetigines minus huc pertinere videtur.

## §. XXVI.

### De Alumine usto.

*Alumen ustum* mitius omnino cauterium est, qua de causa in minoribus tantum malis usum

---

3) *Reilius* in Memorab. clin. Fasc. I. p. 88. 96. 112. 123. etc. — *Frank's* Grunds. üb. d. Behandl. d. Krankh. T. II. p. 78. — *Hufeland*, Journ. d. pr. Heilk. T. IV. p. 365. *Eiusd.* System d. pr. Heilk. T. II. P. I. p. 162.

4) *Reil* L. c. p. 117. — *Theden*, Neue Bemerk. p. 192. — *Boerhave* de morbis oculorum. Götting. 1750. p. 95.

praestat. Efficacissimum vero habetur ad destruendam carnem luxuriantem, ulceribus largiter, adeoque quadrantem pollicis vel dimidium pollicem alte impositum et linamento tectum. Videtur autem sic agere, ut pro virtute sua adstringente laxitati mirifice adversetur. Dolorem hoc modo nullum, sed tantum pruritum molestum excitat, quamvis vera eschara oriatur. Suppurationem in omnibus ulceribus laxis et malignis in melius vertit. Nonnulli ophthalmiatri eo utuntur ad destruendum pannum, cum sextuplo sacchari commixto. Cum hydrargyro oxydato rubro pari portione coniunctum inter efficaciora escharotica pertinet. *Pulvis anglicus* haec compositio dicitur. [5]).

## §. XXVII.

### De Arsenico.

De adhibendo *Arsenico* sive *Arsenico oxydato albo* medici diversae opinionis sunt. Nonnulli organismo id plane contrarium, vitae animali ex toto adversari, ideoque e medicina eiiciendum esse credunt. Alii vero parum de eius usu timent, neque id cum hydrargyro muriatico corrosivo, ratione venenosae virtutis comparare dubitant. Utcunque sit, summam certe cautionem eius usus externus requirit,

---

5) Leg. *Arnemann* L. c. p. 283 et 284.

quoniam imprudenter adhibitum facile resorberi pessimosque morbos venenosos excitare potest.

Prae ceteris arsenici praeparatis *Pulvis* Cosmii sive Bernhardi usu receptus est [1]) ad curandam carcinoma: Rec. Arsenici albi scrupul. un. Cornu cervi usti (loco cinerum solearum detritarum) gr. quatuor, Sanguinis draconis gr. sex, Cinnabaris factitiae drach. un. M. f. pulvis subtilissimus. Portio, qua mali ambitus *indiget*, pauxillo aquae in pultem redacta ope penicilli cancri superficiei crassitie grossi vel unguis illinitur atque dein agaricus imponitur, aut aliud tegumentum naturae accommodatum. Diebus aliquot praeterlapsis eschara secedit, et ulcus quod obtexerat naturali vigore apparet. Hoc modo arsenicum in latioribus etiam superficiebus sine metu venenosi morbi adhiberi potest. Videtur autem sic agere, ut vitam pathologicam plane destruat; et huius loco prorsus novam eandemque legibus organismi sani accommodatiorem provocet. Morbum venenosum ideo non videtur provocare, quoniam ipsa morbi vis ei adversa est, similiter ut in tetano et inflammationibus opii vis soporifera et mercurii sialagoga obtunditur. Maxime in carcinomate faciei utilitatem praestare videtur, in carcinomate

---

1) *Bernhard (Frère Cosme)*, von dem Nutzen des äufserl. Gebrauchs des Arseniks; Journ. de Médic. 1782. T. LVII. p. 256. — Samml. auserlesener Abhandll. für prakt. Aerzte. T. VII. p. 512.

mammarum non satis alte agit, ideoque scalpello prius decidendum est, quodcunque eius vi restiturum videtur. Reliqua autem cauteria in curando carcinomate, nisi hoc organa valde glandulosa occupaverit, nec nimis alte penetraverit plane abscurat, sit ut remedium radicale habendum sit. Ulcera carcinomatosa in simplicia vertit, virus carcinomatosum destruit, corruptas partes exedit, secretionem naturalem reddit. Si mitius agere in animo est, tantum ut virus obtundatur et secretio melior fiat, sufficit arsenici solutionem magis minusve fortem adhibere, in qua huius grana tria ad octo ad liquoris v. c. decocti cicutae libram reputantur, eaque solutione carcinoma per aliquod tempus curare. Praeter Cosmii pulverem etiam aliae arsenicum praescribendi formulae prostant, haudquaquam spernendae. Celeberrima est Iustamondi [2]): Rec. Arsenici albi gr. quatuor, Opii puri scrupul. dimid., Ungti cerati drachm. un. M. f. Ungt. quod linteolo tenuissime inductum ulceri imponatur. Alia: Rec. Arsen. albi, Florum sulphuris $\overline{aa}$ drachm. unam, Aceti destillati, Ungti simpl. $\overline{aa}$ unc. un. M. D. S. ut prius. Alia: Rec. Syrupi commun., Spiritus vini $\overline{aa}$ unc. tres, Aceti saturnini unc. semis, Arsen. alb. drachm. dimid. M. D. S. Linteolis vel linamento hoc liquore

2) Von den Heilarten in Krebsgeschw.; in Samml. auserl. Abhandll. f. prakt. Aerzte, T. XII. p. 309.

tinctis ulcus quotidie semel bis terve deligetur. Plenkii [3]) formula haec est: Rec. Folior. et stipit. Ranunculi Flammulae manipulos duos, Cotudae foetidae man. un., Arsen. alb. drachm. duas. Flor. sulphur. drachm. un. M. f. pulv. subtilissimus, qui albumine in pultem crassam redactus ulceri superinducatur.

Medicamenta haec arsenicalia, prae ceteris autem pulvis Cosmii ingentes dolores movent, magnumque tumorem excitant, cum ipso in ulcere, tum tota in facie; interdum etiam haemorrhagiae oriuntur, quae tamen terrere medicum non debent, sponte enim sistuntur, vasis pulte obductis. Ulcus caute tectum servandum est, ne medicamentum antequam effectus suos praestitit intempestive decidat. Si secretione largiori excitata tamen defluxit, nova puls ingerenda est, donec eschara splendens, dura et homogenea totum ulcus contegat. Generatim eo meliorem medicaminis effectum sperare licet, quo vehementiores dolores et quo altior tumor fuit. Octo, decem vel quatuordecim diebus post eschara solvi incipit, inque ambitu eius margo pus secernens oritur. Haec secretio naturae plane committenda est, docente experientia, quo tardius suppuratio procedit, eo meliores effectus sperandos esse. Ita carcinoma in benignum ulcus vertitur, quod deinde unguento

---

3) *Plenkii* op. c. pag. 135.

aliquo digestivo, cui tincturae myrrhae adiecta sit, vel si res exigit solutione lapidis infernalis adiecto laudano liquido, vel unguento de styrace cum pulvere carbonum curatum sanescit [4]).

Lectoribus cauteriorum usitatissimorum conspectum dedi, pro viribus meis elaboratum, etiam atque etiam rogans ut eum benevole excipiant.

---

4) Leg. *Thilenius* von dem Gebrauch des Arseniks in Krebsschäden; in *Eiusd.* medic. und chirurg. Bemerkungen. p. 101. — *Rönow* vom glückl. äufserl. Gebr. d. Arseniks; in Abhandlungen der Schwed. Akad. der Wiss. An. 1776.

# Conspectus

## *Rerum in hoc opusculo pertractarum.*

Introductio. . . . . Pag. 1.

### *Sectio prima* de cauteriis in universium.

§. I. Nominis explicatio. . . . . Pag. 2.
§. II. Adnotationes historicae. . . . . — 4.
§. III. De cauteriorum effectu in universum. . . . — 13.
§. IV. De cauteriorum indicationibus in universum. . — 15.
§. V. De cauterior. contraindicationibus in universum. — 19.
§. VI. De cauterior. pot. indicationib. et act. contraindicat. — 20.
§. VII. De cauterior. act. indicat. et pot. contraindicat. — 21.

### *Sectio secunda* de cauterio actuali.

§. VIII. De cauterio actuali in universum. . . . . — 22.
§. IX. De cauterii actualis variis generibus. . . . . — 23.
§. X. De ferro candente. . . . . — 24.
§. XI. *Ardieui* observationes nonnullae. . . . . — 30.
§. XII. De variis ferramentorum formis. . . . . — 35.
§. XIII. Operationis descriptio. . . . . — 38.
§. XIV. De moxa. . . . . — 42.

### *Sectio tertia* de cauteriis potentialibus.

§. XV. De cauteriis potentialibus in universum. . . — 48.
§. XVI. De cauteriis alcalinis. . . . . — 52.
§. XVII. De Kali caustico. . . . . — 54.
§. XVIII. De Natro caustico. . . . . — 58.
§. XIX. De Ammonio. . . . . — 58.
§. XX. De Calce. . . . . — 61.
§. XXI. De cauteriis acidis. . . . . — 62.
§. XXII. De acid., quae cauterior. loco adhibentur. — 63.
§. XXIII. De Lapide infernali. . . . . — 67.
§. XXIV. De cauteriis antimonialibus. . . . . — 70.
§. XXV. De cauteriis mercurialibus. . . . . — 72.
§. XXVI. De Alumine usto. . . . . — 74.
§. XXVII. De Arsenico. . . . . — 75.

# CURRICULUM VITAE
## EX DECRETO
## GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
## BEROLINENSIS
## ADIECTUM.

Mihi BERNHARDO IACOBOWICZ ABRAHAMSON Niemirowia, oppidum in imperio Rutheno, est patria, ubi anno MDCCXCVI. patre optimo IACOBO, medico practico, et matre carissima CAROLINA natus sum. Litterarum rudimentis in scholis inferioribus imbutus, in Vicegymnasio, ibi florente, lectionibus per quadriennium operam navavi. Inter praeceptores viros clarissimos beatum ROESNER, verbi divini Magistrum dignissimum, Cl. de PORZYCKI et VILLAGE, nunc Caminiecae, ob singularem in me excolendo positam curam ac humanitatem per totam aetatem venerabor. Cursu grammatices classium rite absoluto, anno MDCCCXVI. Leopolin me contuli, ubi in Gymnasio praefecto Cel. SCHLICK, per biennium ad altiora litterarum studia — quae ibi humanitatis

classes dicuntur — incubui. Tentamine maturitatis legitime peracto primam in classem relatus, anno MDCCCXVIII. directore Ill. ab Huettersthal civibus almae Caesareo-regiae Francisceae scientiarum. Universitatis Leopolitanae, ac decano spectabili Ill. Kodesch, viro mea laude maiori, facultati philosophicae adscriptus sum. Quo ex tempore has praelectiones audivi Ill. Kodesch — cuius nomen nulla unquam in me delebit oblivio, cuiusque praecepta memori animo in perpetuum notabo — de Mathesi pura, Cel. Napadiewicz de Philosophia theoretica, Cel. Maus de Cursu Historiae universalis et Cel. Pollack de Philologia et Philosophia graeca. Examinibus publicis Austriae legibus anno MDCCCXIX. feliciter peractis testimoniis instructus Berolinum migravi, ubi Ill. Goeschen, fasces academicas tunc habens, eodem anno M. Nov. in numerum civium academicorum, et Ill. Graefe, tunc temporis decanus summe spectabilis, ad facultatem medicam Regiae Universitatis litterariae Berolinensis me adscripsit. Praeceptorum — quibus gavisus sum quibusque perpetuas gratias habeo atque ago — has lectiones frequentavi Ill. Link de Historia naturali universa nec minus de Botanice et Pharmacologia, Cel. Ermann et Fischer de Physice experimentali, Ill. Hermbstaedt de Chemia experimentali tam universa, quam medica et Pharmaceutica, Ill. Rudolphi de Anatome tam humana, quam comparata deque

Entozois, Ill. Koreff de Physiologia generali et speciali, Cel. Fr. Hufeland de Pathologia et Semiotice, Ill. Berends et Cel. Osann de Materia medica, Cel. Richter de Therapia generali, Perill. C. W. Hufeland de Therapia speciali, Ill. Horn de Therapia speciali morborum acutorum et chronicorum nec minus syphiliticorum et militum, Ill. Graefe et Cel. Wagner de Ophthalmiatrice, Cel. Wolfart de Mesmerismo et Magnetismo vitali, Ill. Rust de Chirurgia generali et speciali deque Aciurgia. Cel. Kluge Cursui omnium operationuu chirurgicarum interfui et Exp. Iuengken Aciurgiam operationesque ophthalmiatricas exponenti operam dedi. Cel. Hecker de Historia medicinae iniversa audivi.

Artem medendi morbis internis Perill. C. W. Hufeland, adsistentibus Cel. Osann et Exp. Busse, in Instituto Regio policlinico, morbis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Graefe in Regio Clinico chirurgico et ophthalmiatrico, Ill. Rust et Cel. Kluge in Nosocomio Caritatis me docuerunt.

Tentamine iam et Examine rigoroso coram Gratiosa Medicorum Facultate rite et feliciter absolutis, spero fore ut, dissertatione hac conscripta publiceque defensa, Doctoris Medicinae et Chirurgiae Honores in me conferantur.

# THESES DEFENDENDAE.

I.

Hypochondriasis et Hysterismus plane diversi morbi.

II.

Ferrum tam intrinsecus quam extrinsecus adhibitum in omnibus morbis auxilium praestantissimum est.

III.

Hymen non certum est virginitatis signum.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Abrahamson, Bernhard J.

De cauteriis Diss. inaug. med.-chirurg

Berolina 1822

Diss. 1529#Beibd.15
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10845372-5